MASTER NEGATIVE
NO. 93-81309-2

AUTHOR:

HERMANN, GOTTFFRIED

TITLE:

DE INTERPOLATIONIBUS EURIPIDEAE...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1847-1848]

Master Negative #

93-81309-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hermann, Gottfried, 1772-1848.
De interpolationibus Euripideae Iphigeniae in Aulide dissertationis pars prior [et altera]... Lipsiae, ex officina Staritzii, [1847-48].
2 v. in 1, 26 x 20 cm.

Volume of pamphlets


Another copy. . V. 2

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.21.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE INTERPOLATIONIBUS

EURIPIDEAE IPHIGENIAE IN AULIDE

DISSERTATIONIS PARS PRIOR

PRAEMISSA VITIS

XVII. AA. LL. MAGISTR. ET PHILOS. DOCTORUM

RECTORE MAGNIFICO

D. LUDOVICO DE PFORDTEN

POTENTISS. REG. SAX. A CONSIL. AUL. PANDECT. PROF. P. O.

PROCANCELLARIO

GODOFREDO HERMANNO

TH. IUR. U. PHILOS. D. PHILOL. PROF. P. O. ORD. SAX. VIRT. CIV. ET GRAEC. SERVAT. CENTURIONE. S. STANISLAI CLASS. II. ET BORUSS. BENE MERIT. EQUITE UNIV. ET ORD. PHILOS. SENIORE CET.

DECANO

GUSTAVO HARTENSTEINIO

PHILOSOPHIAE THEORETICAE PROF. P. O. CET.

A. MDCCCXLVI. ET MDCCCXLVII.

CREATORUM.

LIPSIAE

EX OFFICINA STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

Interpolatam esse Euripidis Iphigeniam in Aulide hodie satis inter doctos constat. Atque de ultima scena, quam R. Porsonus damnavit, deque parodi parte posteriore, quam non esse ab Euripide scriptam ego monstravi, omnes harum rerum periti consentiunt: de ceteris autem interpolationibus fere alii aliter statuunt. Ego ipse, quum ante hos septemdecim annos illam tragoediam ederem, non pauca patientius tuli quam debebam. Et sane proclive est errare in hoc genere, quum neque Euripides brevitatis valde studiosus fuerit, neque interpolator se ita aut linguae aut metri ignarum praebuerit, ut ubique additamenta eius, quorum in multis ille ipsum imitatus Euripidem est, facile possint a genuinis distingui. Quod si ad poesin quoque aliqua indoles in eo fuisset, difficilius etiam cognosceretur. Illud recte iam olim coniecisse videor, quae genuina habemus huius tragoediae, servata fuisse uno illo in codice, quem possidebat interpolator fine truncatum: sed addere debebam, codicem illum non solum ultimo folio destitutum, verum etiam aliis in partibus lacerum et situ corruptum fuisse. Eo in libro homo ille explebat quae mucore exesa erant, quaeque deesse vel videbat vel opinabatur, in marginibus adscribebat inserto etiam alicubi integro quod perierat folio: quo in negotio sibi placens totam paullatim fabulam pro suo iudicio captuque perpolivit. Absoluto opere iterum codex ille, aut descriptum ex eo exemplar aliquamdiu neglectum iacuisse lacunae quaedam produnt et in parodo extrema versuum laesis marginibus perdita. Aperta res eo est quod quibusdam in locis, ubi expungere Euripidis versus oblitus erat interpolator, eadem et ipsius et Euripidis verbis dicta inveniuntur. Quod si quis hanc condicionem codicis, ex quo nostri libri manarunt, respicere non obliviscetur, non parcet quidem imperito interpolatori, sed tamen ne putabit

quidem mortuo medicinam adhiberi, si etiam in iis, quae vel verbis vel sententia Euripide maxime indigna sunt, reliquiae investigentur eorum, quae ineptis fuerunt absurdisve restituendae evanidae vel laceratae scripturae conatibus depravata. Magnae enim levitatis est, quidquid displiceat prius totum abiicere, quam accurata exploratione compertum sit, nihil inesse, quod aut debeat aut possit pro genuino haberi. Atque esto ut quis in hoc genere erret, numquid aliud faciet, quam quod et pictoribus et statuariis concedimus, facientesque laudamus, ut antiqua artis opera vetustate laesa et mutilata probabiliter in integrum restituere laborent?

Sed convertam me ad ipsam tragoediam. Eius ut finis in vetusto illo codice interierat, ita etiam initium laceratum fuit: maxime enim extrema librorum atteruntur: ac prima duo folia, quorum in uno prologus, in altero anapaesti scripti fuerant, quum avulsa inverso ordine adiacerent vel adglutinata essent, exordium visum est anapaestis factum esse. Quod quoniam repugnat consuetudini Euripidis, alii doctorum anapaestos, alii iambos arbitrati sunt suppositos esse. Recte vero perspexit I. A. Hartungus neque ab anapaestis incepisse fabulam, nec prologo caruisse, sed prologum perperam mediis esse anapaestis insertum. Eum legerat Aristoteles: nec verum est quod E. Müllerus in diurnis Darmstadiensibus a. 1838. p. 181. dixit, nullum exstare Euripidis prologum, in quo non statim initio is qui loquatur indicet qui sit. Coarguunt eum prologi Orestis, Phoenissarum, Medeae, Heraclidarum, Helenae, Electrae. Quin in Alcestide omnino non nominat se qui prologum agit Apollo. Cognoscebant enim ipso adspectu spectatores. In Iphigenia igitur quis non statim et regem esse, qui prodiret, vidisset, qui rex autem esset intellexisset, quum v. 2. Clytaemnestram uxorem suam esse dicit? Eo tamen non efficitur ut omnia sint pro genuinis habenda. Sunt enim quaedam valde suspecta, et primo quidem v. 65. (numeris utor meae editionis) *Ἕλλην ὁμοίως βάρβαρόν θ᾽ ὅπλων μέτα*, quae verba nisi omnia, saltem *ὅπλων μέτα*, inutile sunt additamentum. Deinde qui statim sequuntur versus,

ἐπεὶ δ᾽ ἐπιστώθησαν, εὖ δέ πως γέρων
ὑπῆλθεν αὐτοὺς Τυνδάρεως πυκνῇ φρενί,
δίδωσ᾽ ἑλέσθαι θυγατρὶ μνηστήρων ἕνα,
ὅτου πνοαὶ φέροιεν Ἀφροδίτης φίλαι,

neque desiderarentur, si abessent, neque elegantes sunt. Et *πυκνῇ φρενὶ* Homeri potius, quam tragicorum videtur esse, etsi *πυκινοὶ* prudentes dicti sunt ab Sophocle in Philocteta v. 847. Plane ineptum autem est

φίλαι, pro quo si, uti debet, *ὅποι* scribitur, *φρένα* vel *νόον* poni oportebat. Omissis his versibus patet recte adiungi potuisse,

ἣ δ᾽ εἵλεθ᾽, ὅς σφε μήποτ᾽ ὤφελεν λαβεῖν,
Μενέλαον.

Sic haec bene emendavit vir doctus, qui Cantabrigiae hanc tragoediam a. 1840 edidit. Commemorabo enim hac data opportunitate omnia, quae hodie aliter in mea editione scripta vellem. Mox v. 77. qui multis est coniecturis tentatus, ego quidem requiram *ὃ δὲ καθ᾽ Ἑλλάδ᾽ οἰστρήσας πόθῳ.* Comparari potest Menandri in Leucadia fr. 1. *οἰστρῶντι πόθῳ.* Versum 83. recte, sed falsis de caussis damnasse videtur Hartungus: nihil enim nisi adiectum *πολλοῖς* indicat molesta esse haec verba, *ἵπποις τε πολλοῖς ἅρμασίν τ᾽ ἠσκημένοι.* Ultimos vero prologi versus idem recte statuit ab interpolatore compositos esse, postquam ille inter anapaestos locum prologo assignaverat. Non debebat autem ferre *ἃ δ᾽ οὐ καλῶς ἔγνων τότ᾽, αὖθις μεταγράφω καλῶς πάλιν*, in quibus nimis ineptum est illud *καλῶς πάλιν.* Indicium interpolationis praebent codices, in quibus non *κατ᾽ εὐφρόνης σκιάν*, sed *κατ᾽ εὐφρόνην* scriptum est. Quod si interpolatorem in refingendo fine prologi iis quae Euripides scripserat usum putabimus, ea his fere verbis dicta fuisse videbantur:

ἃ δ᾽ οὐ καλῶς
ἔγνων τότ᾽, αὖθις μεταγράφω κατ᾽ εὐφρόνην
ἐς τήνδε δέλτον, ἣν Κλυταιμνήστρᾳ λάθρᾳ
πέμψω πρὸς Ἄργος· ἃ δὲ κέκευθεν ἐν πτυχαῖς,
φράσω γέροντι, τὸν τάδ᾽ ἐκπονεῖν θέλω.
πιστὸς γὰρ ἀλόχῳ τοῖς τ᾽ ἐμοῖς ἐστὶν δόμοις.

Tum sequebantur anapaesti, quibus foras evocat rex senem.

In his quae de Sirio Pleiadibus vicino dicta sunt imperitissime, non Euripidi, sed scribae imputanda arbitror. Euripides, si quid video, scripserat,

Σείριος ἑξῆς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος ᾄσσων ἔτι μεσσήρης,

conspici adhuc in medio coelo dicens Sirium, sequentem occidentes iam Vergilias. Rem accurate descripsit Boeckhius in libro qui est de tragicis Graecis p. 277.

His versibus quae respondere putabatur Agamemno, non huius, sed senis verba esse vidit editor Britannus, sed ille quum haec verba abiecit, *σιγαὶ δ᾽ ἀνέμων τόνδε κατ᾽ Εὔριπον ἔχουσιν· τί δὲ σὺ σκηνῆς*

εκτὸς ἀΐσσεις, Ἀγάμεμνον ἄναξ, illud recte monuit, tentorii mentionem, (temere sumpserat eam interpolator ex v. 187) non esse ab Euripide factam, cui Agamemno in aliqua domo urbis habitet, ut patet ex v. 1. 442. 869. sine caussa autem quum alia tum pluralem *σιγὰς* vituperavit, non cogitans quot ventos, tot ventorum silentia esse; ad ea vero non attendit, quae aperte absurda sunt. Nam multam adhuc noctem esse aves quidem nondum canentes testantur, non autem mare aut venti, quorum perpetuus est strepitus, maximeque in Euripo, quem et die septies et septies noctu agitari fluxu et refluxn credebant. Itaque, nisi forte *οὔτε σκυλάκων* pro *οὔτε θαλάσσης* scriptum fuit, sic procedebat senis oratio:

οὔκουν φθόγγος γέ τις ὀρνίθων·
ἔτι δ' ἡσυχία τήνδε κατ' Αὖλιν,
καὶ ἀκίνητοι φυλακαὶ τειχέων.

Post v. 48. apertum est deesse aliquot versus, quibus et de priore epistola exposuerat Agamemno, et quid in altera scriptum indicaturus esset significaverat. Tum sequebantur qui a v. 115. sunt anapaesti, in quibus recte editor Britannus scripsit,

μὴ στέλλειν τὰν σὰν ἶνιν
πρὸς κολπώδη πτέρυγ' Εὐβοίας
Αὖλιν ἀκλύσταν,

deleto etiam cum codd. *τὰς* in versu qui sequitur. Senis deinceps verba sic erant scribenda:

καὶ πῶς Ἀχιλεὺς λέκτρων ἀπλακὼν
οὐ μέγα φυσῶν θυμὸν ἐπαρεῖ
σοὶ σῇ τ' ἀλόχῳ; τόδε δεινόν.

Ineptissime enim, sive interpolator is fuit, sive aliquis metri indoctus corrector, et *γὰρ* interposuit et illa adiecit, *σήμαιν' ὅ τι φής.* Eodem modo versus 151. ex praegressis verbis confectus est, quo eiecto scribendum:

ἢν γὰρ πομπαῖς ἀντήσῃς,
πάλιν ἐξόρμους σεῖε χαλινοὺς
ἐπὶ Κυκλώπων ἱεὶς θυμέλας.

Sequitur carmen chori, cuius in versibus 173 sqq. offenderam quidem ad crebros articulos, de quibus in praefatione p. XV. dixi, sed debebam illa vestigia longius persequi. Postea intellexi has quae constitutae erant strophas non solum iusto longiores esse, sed etiam prioris parte altera ordinem narrationis interrumpi. Vidit hoc etiam G. Dindorfius, qui in diurnis antiquariis a. 1839. p. 1051. praeter v. 162—168. 183—

189. cetera omnia interpolatori tribuit. Ego esse in illis quaedam video, quae purgata a sordibus neque indigna Euripide sint, et multo meliora, qaam ut ab interpolatore isto proficisci potuerint. Id patebit, si mirae perturbationis originem aperuero. Incipiam a v. 170. seqq. qui si scripti fuerunt post v. 187—189. recte procedet narratio:

ἀσπίδος ἔρυμα καὶ κλισίας
ὁπλοφόρους Δαναῶν θέλουσ'
ἵππων τ' ὄχλον ἰδέσθαι,
Ἀχαιῶν τε πλάτας ναυσιπόρους,

et quae sequuntur. Distinxit Euripides ab Argivis Danais illos qui Argos Pelasgicum habitabant, Achaeos, de quibus Homerus, *Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί.* At illa non sunt ferenda, *ἡμιθέων*, sumptum ex Iliad. XII. 23. et *τὸν ξανθὸν Μενέλαον Ἀγαμέμνονά τ' εὐπατρίδαν*, inertissimis languentia epithetis, aliaque ex aliis tragoediarum locis congesta, falsumque commentum *ἁμέτεροι πόσεις*, quum istae mulieres et ipsae v. 185. se virgines esse prodant, et v. 1493. *νεάνιδες* vocentur. Non minus inepta sunt in antistrophicis v. 196. *ὃν τέκε παῖς ὁ Ποσειδᾶνος* non addito nomine Nauplii, tum Homericum illud *ὄζος Ἄρηος* et *θαῦμα βροτοῖσι*, quae manifesto sunt versuum implendorum caussa adiecta. At, inquiat aliquis, ut ista corrigi possint, qui factum est, ut, si continuantur v. 162—168. 183—189. hoc stropharum par distraheretur, interponereturque ex aliis binis strophis antistropha, stropha ultimo loco reservata? Videtur hoc sic explicari posse, ut quum cetera ordine perscripta essent, altera antistropha in lacinia discerpti folii servata, quoniam antistropha prima et quae eam sequebatur stropha unam efficere stropham videbantur, eo loco insereretur, quo parem longitudine stropham praeberet. Confirmat hanc coniecturam primus utriusque harum stropharum versus. Nam quum recte cohaererent illa quae supra posui, translata antistropha illa in alienum locum, non poterat post *τᾶς κλεινᾶς Ἀρεθούσας* inferri *Ἀχαιῶν τε πλάτας ναυσιπόρους.* Itaque necesse erat ut interponeretur hic versus, *Ἀτρειδᾶν* (nam *Ἀχαιῶν* error scribae videtur) *στρατιὰν ὡς κατιδοίμαν.* Iam vero etiam strophae opus erat inutilem versum addi, quod factum est his verbis, *κατεῖδον δὲ δύ' Αἴαντε συνέδρω.* Sequebatur tertium par stropharum, quod, quoniam scriptura paucis in verbis turbata erat, interpolator pro epodo habitum stultissima equorum descriptione oneravit. Ne longus sim in re aperta, ponam totum carmen, quale exclusis ineptiis ab Euripide profectum credi possit.

Ἔμολον ἀμφὶ παρακτίαν στρ. α'
ψάμαθον Αὐλίδος ἐναλίας
Εὐρίπου διὰ χευμάτων
κέλσασα, στενόπορθμον
Χαλκίδα πόλιν ἐμὰν προλιποῦσ',
ἀγχιάλων ὑδάτων τροφὸν
τᾶς κλεινᾶς Ἀρεθούσας·
πολύθυτον δὲ δι' ἄλσος Ἀρ- ἀντ. α'
τέμιδος ἤλυθον ὀρομένα,
φοινίσσουσα παρῇδ' ἐμὰν
αἰσχύνᾳ νεοθαλεῖ,
ἀσπίδος ἔρυμα καὶ κλισίας
ὁπλοφόρους Δαναῶν θέλουσ'
ἵππων τ' ὄχλον ἰδέσθαι,
Ἀχαιῶν τε πλάτας ναυσιπόρους, στρ. β'
ἃς ἐπὶ Τροίαν Ἀγαμέμνων
στέλλει τιμωροὺς Ἑλένας,
Πάρις ὁ βουκόλος ἂν ἔλαβεν,
ὅτ' ἐπὶ κρηναίαισι δρόσοις
Ἥρᾳ Παλλάδι τ' ἔριν, ἔριν
μορφᾶς ἁ Κύπρις ἔσχεν·
τὸν Οἰλέως Τελαμῶνός τε γόνον ἀντ. β'
Πρωτεσίλαον τ' ἐπὶ θάκοις
πεσσῶν μορφαῖς ἡδομένους
πολυπλόκοις Παλαμήδεά τε,
τὸν ἀπὸ νησαίων τ' ὀρέων
Λαέρτα τόκον, ἅμα δὲ Νι-
ρέα, κάλλιστον Ἀχαιῶν·
τὸν ἰσάνεμόν τε ποδοῖν στρ. γ'
λαιψηροδρόμαν Ἀχιλῆ,
τὸν ἁ Θέτις τέκε καὶ Χείρων
ἐξεπόνασεν, ὃν εἶδον ἐπ' αἰγια-
λοῖς παρά τε κροκάλαισιν ἅμιλλαν ἔ-
χοντα δρόμου σὺν ὅπλοισι ποδοῖν περὶ νίκας
πρὸς τέτρωρον ἅρμα.
ὁ διφρηλάτας δ' ἐβοᾶτ' ἀντ. γ'
Εὔμηλος Φερητιάδας,

οὗ καλλίστους ἰδόμαν πώλους
πυρσότριχας, μονόχαλα δ' ὑπὸ σφυρὰ
ποικιλοδέρμονας, οἷς παρεπάλλετο
Πηλεΐδας σὺν ὅπλοισι παρ' ἄντυγα καὶ σύ-
ριγγας ἁρματείους.

Non opus erat ad haec, *ἐπὶ κρηναίαισι δρόσοις*, addi quod fama proditum constabat, ad Scamandri fontes convenisse deas, quas Paris iudicaret: v. Coluth. v. 70. Illud in oculos incurrit, his in strophis scriptorem cerni, qui poetae esse sciat non ponere inertem enumerationem nominum, sed agentes aliquid et quasi vivos describere. Immane quantum distat ab hoc miser iste interpolator, qui folium in codice perisse intelligens, quum commemoratos vidisset aliquos de Graecis ducibus, hanc ansam arripuit attexendi putidissimi eorum indicis. Nam sane non videtur carmen his sex quas posui strophis absolutum esse, sed adiectam fuisse praesagitionem exitii, quod Troiae a tanto exercitu tamque fortibus viris immineret; tum autem anapaestos aliquot accesisse, quibus non sine pavore diceret chorus quosdam altercantes advenire.

Horum clamore quum Agamemno ex aedibus evocatus quaesivisset quid istuc tumulti esset, libri senem respondentem faciunt. Quod qui probarunt, sive suo loco servantes versum, sive post sequentem ponentes, parum cognitas habuerunt leges tragoediae, quae in duorum colloquio unum versum proferenti tertio interlocutori non concedunt locum. Menelao eum versum iam in editione mea dedi, sed debebam ante eum notare unius versus defectum. Senem enim loqui eo versu qui excidit iusserat Agamemno: sed occurrit Menelaus dicens,

οὑμός, οὐχ ὁ τοῦδε μῦθος κυριώτερος λέγειν.

Aliter peccatum erat in his, v. 346. ubi locos suos permutaverant *καὶ* et *τότε*:

ἄνδρα δ' οὐ χρεὼν
τὸν ἀγαθὸν πράσσοντα μεγάλα τοὺς τρόπους μεθιστάναι,
ἀλλὰ τότε βέβαιον εἶναι καὶ μάλιστα τοῖς φίλοις,
ἡνίκ' ὠφελεῖν μάλιστα δυνατός ἐστιν ὠφελῶν.

Versus 351—354. bene ab Hartungo in ordinem redactos sequuntur haec:

ὡς δ' ἄνολβον εἶχες ὄμμα σύγχυσίν τε, μὴ νεῶν
χιλίων ἄρχων Πριάμου τε πεδίον ἐμπλήσας δορός,

quae interrumpunt tenorem orationis. Imitatus est interpolator versum 1134. Nec de proximis,

κἀμὲ παρεκάλεις, τί δράσω; τίνα δὲ πόρον εὕρω πόθεν;
ὥςτε μὴ στερέντα σ' ἀρχῆς ἀπολέσαι καλὸν κλέος,

contendam alterum versum non esse ab interpolatore factum. Merito etiam repudiatus est versus 365. Nec versus 367. seqq. sic, ut scripti sunt, aptam orationem praebent. Nam et *δέ τοι* particulae excusando potius Agamemnoni quam accusando conveniunt, et *τὰ μὲν ὑπὸ γνώμης πολιτῶν ἀσυνέτου, τὰ δ' ἐνδίκως* recte exclusisse videtur Hartungus, ut ab interpolatore addita, qui *ἐξεχώρησαν* de abdicando munere dictum putaverit. Non erat autem etiam qui sequitur versus abiiciendus, sed potius sic scribendum:

μυρίοι δή τοι πεπόνθασ' αὐτὸ πρὸς τὰ πράγματα·
ἐνπονοῦσ' ἑκόντες, εἶτα δ' ἐξεχώρησαν κακῶς,
ἀδύνατοι γεγῶτες αὐτοὶ διαφυλάξασθαι πόλιν.

V. 374. perinepte scriptum est *χρέους ἕκατι*, pro quo qui *γένους* vel *κήδους ἕκατι* coniecerunt, posuerunt quo Menelaus se ipse vituperaret. Dici oportebat, quod in solum caderet Agamemnonem. Atqui is quod potentissimus haberetur, dux erat electus. Declaravit Thucydides 1. 9. Quare scribendum videtur,

μηδέν' ἂν κράτους ἕκατι προστάτην θείμην χθονός.

Versum 376. iniuria abiecit Hartungus.

In Agamemnonis oratione v. 379. scribi debuit:

βούλομαί σ' εἰπεῖν κακῶς οὔ, βραχέα.

V. 383. vidit quid dici deberet Hartungus, quum posuit *λέκτρ' ἐρᾷς χῆρος λαβεῖν*, verum id arcessitum est. Usitata tragicis oratio postulabat *λέκτρ' ἐρᾷς χρῄζων λαβεῖν.* V. 389. bene editor Britannus restituit *μετεθέμην εὐβουλίαν.* Gravi vitio affecta sunt haec, v. 392.

ὤμοσαν τὸν Τυνδάρειον ὅρκον οἱ κακόφρονες
φιλόγαμοι μνηστῆρες. ἡ δέ γ' ἐλπὶς, οἶμαι μέν, θεός,
κἀξέπραξεν αὐτὸ μᾶλλον ἢ σὺ καὶ τὸ σὸν σθένος.

Illud quidem dubitari non potest, quin Matthiae et Seyffertus recte iusserint *ἦγε δ' ἐλπὶς* scribi. Sed nihili est *οἶμαι μέν*, in quibus verbis latet epitheton generis feminini. Notio communis enim, quum in numen vertitur, sive femininum sive generis neutri nomen habet, *θεὸς* dicitur genere feminino, forma autem masculina, quia *θεὰ* sexus diversitatem indicatura esset, ubi sola divinitatis notione opus est, ut *λήθη, εὐκταία θεός*

in Hecuba 214. *λύπη, δεινὴ θεὸς* ibidem v. 399. *ἀφροδίτη, ἡδεῖα θεὸς* in Phoenissis 402. unde apud Aeschylum Agam. 778. *δαίμονά τε τὰν ἄμαχον, ἀπόλεμον, ἀνίερον, θράσος.* Sic etiam Latini ut Calvus apud Macrobium Sat. III. 8. *pollentemque deum Venerem.* Nunc ad *οἶμαι μὲν* litterarum similitudine proxime accedit *ἦγε δ' ἐλπίς, ὀλομένη θεός.* Poterat vero etiam *αἱμύλη θεὸς* dici: et grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 363, 2. *Εὐριπίδης δὲ καὶ αἱμύλη εἶπε θηλυκῶς.* Deinde vero quid est *αὐτό?* Si verba spectamus, iurasse procos. At tum sequi debebat, *ἢ τὸ Τυνδάρεω σθένος*, non *ἢ σὺ καὶ τὸ σὸν σθένος*: praesertim quum quid sit Menelai *σθένος* non appareat. Ex quo consequitur scribendum esse,

κἀξέπραξεν αὐτὸ μᾶλλον ἢ σὲ καὶ τὸ σὸν σθένειν.

Spes, inquit, procos adduxit, ut iurarent, atque effecit ut iusiurandum potius quam tu aut tua res polleret. Non dixit *πλέον*, sed *μᾶλλον*, quia non volebat intelligi iusiurandum plus valuisse apud procos ad suscipiendam expeditionem Troianam, sed eos non tam Menelai precibus et adversa fortuna, quam fide iurando data esse permotos.

V. 395. veram scripturam invenit editor Britannus,

οὓς λαβὼν στράτευ'· ἑτοῖμοι δ' εἰσὶ μωρίᾳ φρενῶν.

Tum v. 398. languide nectit sententias *καί.* Interrogare debebat Agamemno, et interrogasse testatur Ennius, cuius versus in adnotationibus meis ad v. 383. attuli. Quare *πῶς τὸ σὸν μὲν εὖ παρὰ δίκης ἔσται* scribendum.

V. 416. non cogitarunt qui totam nuntii orationem abiecerunt, non solum Iphigeniae, sed etiam Clytaemnestrae adventum Orestisque nuntiari debere, nuntiatumque esse ab ipso significari Agamemnone v. 456 seqq. Videtur Euripides nuntium, qui de famulitio Clytaemnestrae est, de industria stolidum et loquacitate importunum finxisse, ut, quo alacrius eius gaudium esset, eo maiore Agamemno maerore perfunderetur. Eo multum conferunt illa, *Ἀρτέμιδι προτελίζουσι τὴν νεάνιδα*, quae sine suspicione atrocissimi facinoris dicta quantopere conscium sibi impii consilii commovere debuerint apertum est. Itaque fecit etiam hominem istum inverecundius irrumpentem, interpellantemque colloquentes fratres. Nec debuit expelli versus 468. nam quum plures essent filiae Agamemnonis, nominari illam quae advenisset oportebat. De Oreste autem quod a me restitutum est, *ὥς τι τερφθείης ἰδών*, si qui frigide dictum iudicarunt, nec sententiam videntur verborum percepisse, nec vidisse *ὥςτε* soloecum esse: illud autem, *ὡς σὺ τερφθείης ἰδών*, quod editor Britannus posuit, ineptam distinctionem infert. Iustae vero dubitationi locum faciunt versus 437

seqq. Nam nimis profecto stolidum atque impudentem se praebet servus ille, si, quoniam quidam ad nubendum arcessitam esse Iphigeniam coniiciant, quasi in re certa sollemnia nuptialia instituere Agamemnonem et Menelaum iubet. Haec igitur ab interpolatoris ingenio profecta credam, servumque satis habuisse has nonnullorum voces auditas dicere:

Ἀρτέμιδι προτελίζουσι τὴν νεάνιδα,
Αὐλίδος ἀνάσσῃ. τίς νιν ἄξεταί ποτε;
στεφανοῦσθε φύλλοις κρᾶτα, καὶ κατὰ πέγας
λωτὸς βοάσθω καὶ ποδῶν ἔστω κτύπος·
φῶς γὰρ τόδ᾽ ἥκει μακάριον τῇ παρθένῳ.

V. 444. recte G. Burges *ἄρξωμαι*, et v. 453. Dobraeus *οὐ σθένω* pro *αἰδοῦμαι*. Versus 502—505. autem non abiiciendi erant, sed correcto errore scribae recte connectendi cum praegressis, *εἰ δ᾽ ἐς μεταβολὰς ἦλθον ἀπὸ δεινῶν λόγων.*

V. 523. inepta continet. Scribendum:

κοὐδέν γε χρηστόν, οὗ δὲ χρήσιμον, πικρόν.

Omnium luculentissime hanc sententiam elocutus est Aeschylus Agam. 1141. *ἀπὸ δὲ θεσφάτων τίς ἀγαθὰ φάτις βροτοῖς τέλλεται; κακῶν γὰρ διαὶ πολυεπεῖς τέχναι θεσπιῳδοὶ φόβον φέρουσιν μαθεῖν.*

V. 533 sqq. absurde Agamemnonem metuere ne Achivi se et Menelaum interfecturi eversurique et vastaturi Argos sint, recte adnotavit G. Dindorfius. Videtur interpolator, quum versus lacunosos invenisset, atrocia pro suo captu esse commentus. Euripidem sic scripsisse credam:

ὅς ξυναρπάσας κόρην
σφάξαι κελεύσει, κἂν θέλω κἂν μὴ θέλω.
τοιαῦτα τἀμὰ πήματα.

V. 544. editor Britannus, qui ridicule negavit Graece dici *σιγὴν φυλάσσειν*, hoc tamen non male iudicavit, Agamemnonem, qui nusquam chorum alloquio dignetur, hic in summo dolore non dicturum fuisse *ὑμεῖς τε σιγὴν, ὦ ξέναι, φυλάσσετε.* Debebat vero hoc addere, gravi aliquo dicto finiri scenam oportuisse, praesertim sequente carmine chorico. Sensit qui hunc versum addidit, mirum esse quod chori, qui et rixam Menelai cum servo, et altercationem fratrum, et quid Iphigeniae pararetur audiverit, tam nulla ratio habetur, ut ne cogitare quidem Agamemno videatur prodi ab his virginibus rem posse Clytaemnestrae. Verum Euripides, quoniam choro tamen opus erat tragoediae, virgines ex Chalcide introduxit, quae ut peregrinae non ausurae essent rebus quae

in Aulide agerentur se immiscere. Aulidenses enim aegrius tulissent sua in urbe innocentem virginem immolari. Propterea chorum ea tantum quae communia sunt comitatis officia praestare fecit.

V. 548. non debebam quidem *μελομένων οἴστρων* scribere, sed qui *μαινομένων* in diurnis scholasticis a. 1833. p. 635. firmasse quibusdam visus est, Mehlhornius, perdidit operam. Gravioribus enim argumentis opus esset, ut quis dactylum in hoc genere versuum tribracho respondere posse evinceret, postquam cognitum est multo maiore severitate quam olim credebatur exaequatas esse pedum mensuras. Videtur interpolator *μαινομένων* posuisse, quum legi quod in male habito codice scriptum fuerat non posset. Euripidi non deerant quae poneret alia verba, ut *παραφρόνων, παραφόρων, παρακόπων.* Hesychius: *παρακόπτει, μαίνεται.* Sic in Bacchis v. 33. *παράκοποι φρενῶν* et 998. *παρακόπῳ λήματι* dixit. Alio modo pedum iusta comparatio restituenda v. 555. ubi apertum est quam non apto loco Venus *καλλίστα* appelletur. Quod vocabulum si erutum est ex obscuris pristinae scripturae reliquiis, proxime accedit recte formata vox, cuius tamen aliud exemplum non habeo:

ἀπενέπω νιν ἁμετέρων,
Κύπρι, καταυλιστὰν θαλάμων.

Aliquid ambiguitatis habent haec v. 565. *τό τε γὰρ αἰδεῖσθαι σοφία, τάν τ᾽ ἐξαλλάσσουσαν ἔχει χάριν ὑπὸ γνώμας ἐςορᾶν τὸ δέον, ἔνθα δόξα φέρει κλέος ἀγήρατον βιοτᾷ*, quia *ἐςορᾶν* et nominativus et accusativus esse potest. Si nominativus, sententia haec est, *τό τε αἰδεῖσθαι σοφία ἐστί, τό τε ἐςορᾶν τὸ δέον ἔχει τὰν ἐξαλλάσσουσαν χάριν*: et sic fere haec accipiebantur: sin accusativus, hoc dicitur: *τὸ αἰδεῖσθαι σοφία τέ ἐστι, ἔχει τε χάριν τὰν ἐξαλλάσσουσαν ἐςορᾶν τὸ δέον.* Hoc verum esse eo apparet, quod qui haec audiebant, iis non poterat non *τὸ αἰδεῖσθαι* videri *ἔχειν τι*, etsi *τε* inter *τὸ* et *αἰδεῖσθαι* positum erat: cuius generis exempla si quis requirit, videat Schaeferum in indice poesis gnomicae. Sic igitur ratiocinatur chorus: multum educatio ad virtutem confert: nam verecundum esse (qui est fructus bonae educationis) et sapientia est, et gratiam habet mutuam hanc, ut quis prudenter videat quid oporteat, ubi existimatio hominum laudem non senescentem affert vitae. Quae statim sequuntur, in iis quod Marklandus proposuit, *ἐν ἀνδράσι δ᾽ αὖ κόσμος ἐνὼν ὁ μυριοπληθὴς μείζω πόλιν αὔξει*, non est ab Euripide scriptum. Genitivum sibi postulat *μυριοπληθής*. Feminarum virtutem cerni dicit fugiendis clandestinis amoribus, in viris autem iustum modum innumerabilis laborum et mo-

lestiarum varietatis augere robur et potentiam civitatis. Quare scribendum: *ἐν ἀνδράσι δ' αὖ κόσμος ὅπλων ὁ μυριοπληθὴς μείζω πόλιν αὔξει.*

Quae a v. 575. scripta sunt versibus Glyconeis, quales etiam quae praecedunt strophae habent, ut vix dubitari possit quin et ipsa fuerint antistrophica, praesertim quum v. 582—584. indicium praebeant haud ambiguum. Sunt illae reliquiae carminis, cuius aliquot versus lacerato corruptove codicis folio perierunt. Nam et initium strophae deest, et nimis nudum est illud *εὔθηλοι δὲ τρέφοντο βόες*, quod cur esset adiectum indicari debebat, et ultima carminis verba numero carentia discerptas folii lacinias produnt. Quare non videor errare, si insertis ex coniectura aliquot verbis, ubi res ipsa sensum monstrabat, formam carminis hanc fuisse coniiciam:

[μή μοι φῶς πότ' ἐς ἁμέρας] — *στρ. β'*
ἔμολες, ὦ Πάρι, μηδὲ σύ γε
βουκόλος ἀγραύλοις ἐτράφης
Ἰδαίαις παρὰ μόσχοις,
βάρβαρα συρίζων, Φρυγίων
αὐλῶν Οὐλύμπου καλάμοις
[πολυπλόκον] μίμημα πνέων
. . . .

εὔθηλοι δὲ [πλανώμεναι — *ἀντ. β'*
κατὰ νάπας] τρέφοντο βόες,
εὖτε κρίσις σ' ἔμηνε θεᾶν
ἅ σ' [εἰς] Ἑλλάδα πέμπει.
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

. . . . . . — *ἐπῳδ.*
ἐλεφαντοδέτων πάροιθε θρόνων,
Ἑλένας [ἵν'] ἐν ἀντωποῖς βλεφάροις
ἔρωτά τ' ἔδωκας, ἔρωτι δ' αὐτὸς ἐπτοάθης·
ὅθεν ἔρις, ἔρις
Ἑλλάδα σὺν δορὶ ναυσί τ' ἄγει
πρὸς πέργαμα Τροίας.

Pauca his defendendis addo. Initio strophae apertum est optasse chorum, ut aut natus non esset Paris, aut non pavisset boves in monte Ida. Ideo

μηδὲ scribendum fuit: nam *μήτε — μήτε* ibi recte dicitur, ubi de duobus utrumque factum est, non ubi, si alterum factum esset, fieri non potuisset alterum, ut hic, si non natus esset Paris, pascere boves non potuisset. Verba quae in primo versu posui, sicut etiam quae in antistropha addidi, potuerunt alia esse, sensum tamen eum quem dedi praebentia. Nam etiam boves pastas esse inepte esset adiectum, nisi adderetur, non custoditas libere vagatas esse, dum pastor securus fistula se oblectabat deasque iudicabat. *Ἀργενναῖς*, quod vocabulum casu credo non esse in superstitibus tragoediis usurpatum, error scribae est, qui fortasse in codice exaratum videbat *ἀγρ . . . ις*. Ovium enim illud epitheton est, nec facile quis credat candidas fuisse Paridis boves. Itaque *ἀγραύλοις* scripsi. Porro si *πολύπλοκον*, ut conieci, scriptum fuit, apparet cur *πλέκων* pro *πνέων* positum sit in codicibus. Antistrophae versus qui perierunt, haec fere videntur continuisse: ibi formae pulcritudine conspicuus barbaricoque ornatu speciosus hospes in Menelai domum venisti, adstitistique (hoc erat in primo versu epodi qui et ipse deest) ante splendidas ebore sedes. Nam quod scriptum est *ἐλεφαντοδέτων πάροιθε δόμων*, in eo absurde *δόμων* interpolator pro evanido *θρόνων* posuit, idemque etiam *ὃς* in versu sequente et ineptos articulos addidit. Ceterum quum in libris legatur *βλεφάροισιν*, falleretur, qui *προπάροιθε* scribens hos tres versus uno ex anapaestis numero cum logaoedica catalexi putaret decurrere. Id enim prohibet spondeus, qui ab isto genere numeri alienus est: v. Aeschyli Prom. 165. s. 184. s. Tum quod legebatur *ἔρωτα δέδωκας, ἔρωτι δ'*, apparet cur corrigendum fuerit. Denique quod in fine carminis habent libri *ἐς Τροίας πέργαμα*, tantummodo explendae sententiae caussa ab interpolatore additum, numerum quidem praebet iustum, ut correxi, sed vereor ne aliquanto gravioribus verbis carmen fuerit conclusum.

Honoris caussa ab Ordine philosophorum creatus est artium liberalium magister et doctor philosophiae

VIR CLARISSIMUS

IOANNES HENRICUS PISTOTHEUS MUELLER

CONSILIARIUS SCHOLASTICUS GYMNASII REALIS NASSAVIENSIS IN THERMIS MATTIACIS DIRECTOR. SOCIETATIS NATURAE SCRUTATORUM LIPSIENSIS SODALIS.

FRANCISCUS TIMOTHEUS THEOPHILUS KLEINPAUL.

Grossgraboviae natus d. IV. m. Sept. a. XXIV. a patre religionis scientia et litteris Latinis Graecisque bene imbutus, anno aetatis XIII. receptus in gymnasium Afranum, per sex annos praeceptoribus qui tum erant usus est, quorum in primis Schumannum laudat. Inde ad Academiam nostram accessit, theologiae operam daturus. Hic studiose auditis philosophis librorum sacrorum interpretes theologos adiit, Winero potissimum et Niednero magistris, in practicis autem disciplinis Grossmanno avunculo suo et Krehlio. Post haec trium annorum et dimidiati studia examen pro candidatura subiit. Tum ei traditum est munus magistri in paedagogio surdorum et mutorum Dresdensi.

CAROLUS BENIAMIN SELTENREICH.

Lipsiae natus a. XX. d. XIII. m. Aug. parentes habuit Adamum Beniaminem, mercatorem, Henricam Philippinam Amaliam Franckiam. Quinquenni quum mors patrem fratremque eripuisset, mater cum duobus superstitibus pueris Brunsvicum in patriam urbem rediit. Ibi mox disciplina ei uti contigit scholae publicae cum orphanotropheo coniunctae. Patris partes suscepit Kruegerus, nunc viis publicis in parte saltus Hercynii ad Blancoburgum pertinente muniendis praefectus, qui a. XXX. matrem eius uxorem duxit. Is Schoeningae, oppido Brunsvicensi, quo loco tum opera publica curabat, nunc ipse nunc per alios magistros instituit pueros: quorum hic ab avi sui fratre Car. Christiano Seltenreichio, theol. D. dioecesis Dresdensis antistite et ad aedem S. crucis pastore primario, ut solus de stirpe Seltenreichia superstes, in domum eius receptus est a. XXXIII. ubi Boettcheri disciplina usus, a. XXXV. in scholam ad S. crucis transiit. Anno post afflictus morte avunculi, suasoribus perill. de Carlowitz, cognato amitae, quae etiamnum rebus eius amantissime prospicit, et Gottschalkio Iaehnichenioque, gymnasium Afranum adiit, cuius disciplina fere per sex annos excultus in Academia nostra scholis interfuit Winzeri, Illgenii, Grossmanni, Wineri, Niedneri, Krehlii, Harlessii, Tuchii, Lindneri, Seyffarthi, meis, Beckeri, Westermanni, Hartensteinii, Drobischii, Heinrothi, Wachsmuthii. Tum ad linguas recentiores animum applicuit, publicae institutionis cognoscendae caussa in Helvetiam abiturus.

PAULUS MARTINUS TZSCHIRNER.

Pater huic fuit vir laudatissimus Henricus Theophilus, theol. D. et professor, parochiae Lipsiensis antistes. Mater superstes est, Mariana Schlemmia. Puer ex schola Handeri Thomanae traditus quum propter infirmam veletudinem saepe domi manere coactus fuisset, per aliquot annos privatis est magistris commissus. Corroboratum deinde adire passa est mater gymnasium Afranum, cuius institutione formatus in Universitate nostra me, Wachsmuthium, Drobischium, Hartensteinium, Winerum, Niednerum, Krehlium, Tuchium per biennium praeceptores habuit. Tum Berolini Twestenum, Straussium, Boppium, Ritterum aliosque audivit, reversusque ad nos studia academica absolvere constituit. Natus est d. V. m. Sept. a. XXIV.

CAROLUS HERMANNUS DUERBIG.

Natus Lindenaviae prope Lipsiam a. XXIV. d. XI. Cal. Aug., ubi parentes Io. Christianus et Friderica Schillingia per aestatem commorari solebant, quum diu aliis ad vitam utilibus rebus operam dedisset, victa timiditate, quae eum a theologia retinebat, domi Latine Graeceque discens ab Rettigio, quem ab infantia amantem magistrum habuit, eo perductus est, ut XIV. annos natus quartae classi discipulorum scholae Thomanae adscriberetur. Ibi quinque annos et sex menses eruditus, a. XLIII. in Academia nostra alacri animo theologiae se dedit, cui philosophiam quoque coniunxit, non seposita veterum scriptorum lectione, quorum et dictionis suavitate et sententiarum gravitate delectatur. Ita auditis Winero, Niednero, Tuchio, Krehlio, Wachsmuthio, Beckero, Drobischio, Hartensteinio, quibus se gratissimum profitetur, a. XLVII. factus est candidatus theologiae.

ROBERTUS BOEHME.

Parentibus Friderico, med. D. et Amalia Ludovica Mertziae natus Plaviae a. XXIII. e domestica institutione a. aetatis fere XIV. biennium Dresdae in schola ad S. crucis exercitatus, ea in urbe artem medicamentariam in pharmacopolio didicit, cursuque alumni exacto per triennium factitavit. Quum autem intelligeret, si quid proficere vellet, artis chemicae disciplina usuque opus esse, ad Academiam ac-

cessit, in qua quum Hartensteinium, tum praecipue Erdmannum, cui obstrictissimus est, et G. Weberum physicam experimentalem docentem audivit.

PAULUS HENRICUS AUGUSTUS MOEBIUS.

Parentes habet virum summa claritate Ferdinandum Augustum, altioris mechanices et astronomiae apud nos professorem, et Dorotheam Rothiam, quibus natus est a. XXV. prid. Cal. Iun. Prima institutione in schola civica per septem annos accepta, linguaeque Latinae elementa a Zeidlero Heringioque edoctus, ab a. XXXVII. usque ad XLIV. disciplina gavisus est scholae Nicolaitanae. Inde in Academia, quod dudum constituerat memoria Lutheri, a quo originem ducit, incensus, theologiae studere coepit et philosophiae, magistris Grossmanno, Winero, Niednero, Angero, Drobischio, Nobbio, Weissio, Fechnero, Flathio. Eo triennio nihil eius studiis impedimenti obiectum est, nisi ut interdum oculis laboraret, quos iam a quinto aetatis anno minus validos veretur ne a matre luminibus paene captae acceperit. Itaque oratoris sacri officiis se parans Krehlii seminarium diligenter frequentavit, saepeque in coetu sacro verba fecit auspiciis Blueheri, pastoris Probsthaidensis. Exploratus ab Ordine theologorum candidatus theologiae est factus, concessuque patris proximum semestre hibernum theologicis philosophicisque doctrinis in Academia Berolinensi amplius persequendis dedit.

RUDOLPHUS HUGO HOFMANN.

Hunc ex Rosamunda de gente Frenzelia Ernestus Augustus Kreischae in Dioecesi Dresdensi, ubi pastoris munere fungebatur, suscepit, qui ut ipse litterarum amantissimus erat, ita filium quem a privato praeceptore erudiendum diligentissime curasset, annum agentem XIV. tradidit gymnasio Afrano. Eius morte graviter afflictus praesidioque indigens filius animum constantia adversus fortunam roboravit. A. XLIII. quum in Academiam transisset, primo semestri scholis isagogicis usus, deinde exegesi operam dedit Winero duce, qui cum sibi a manibus esse voluit. Huius scholis et consuetudini quantum debeat, numquam satis se praedicare posse gratissimo animo profitetur. Adiunxit huic duces Niednerum et Krehlium, nec negligens alias doctrinas me, Beckerum, Wachsmuthium, Drobischium, Hartensteinium audivit, gratias his omnibus agens maximas.

HENRICUS ARMINIUS GOELL.

A. XXII Schleizae Variscorum natus, quum ab elementis litterarum usque ad altiora academiae studia fruitus essem Lycei Schleizensis institutione et quidem patre ipso, Lycei Prorectore, studiorum duce, vere anni XLI. in cives academiae Lipsiensis receptus sum. Quamquam theologiae cum philologiae studio coniungere in animo habebam, tamen secundo iam anno litterarum antiquarum amor praevaluit. Itaque omnem his operam navans, imprimis regii Seminarii philologorum et reg. et Societatis archaeologicae sodalis factus, virorum illustrissimorum God. Hermanni et Klotzii et, quem praematura mors lugentibus Musis eripuit, G. A. Beckeri institutione et consuetudine utebar, quos omnes semper gratissima tenebo memoria. Deinde mense Septembr. anni XLIV Lipsiae candidatorio munere philologorum dignus iudicatus, paullo post in Ehstonia, Russiae provincia, praeceptoris officia suscepi.

GUILIELMUS LIERKE.

Hic Vratislaviae a. XVIII. Id. Mart. natus parentibus pauperrimis, Guilielmo et Rosina Schoebitzia. Pater, qui telas gossypias pinxerat, quum victus quaerendi caussa procul domo abisset, matris curae relictus puer in schola populari septennis rudimenta litterarum accepit, quum sexto mense post reversus pater cum a schola revocavit, opera eius in suis laboribus usurus. Misertus pueri domesticus praeceptor liberorum cuiusdam vicini, eum interesse scholis suis passus est, cui debet, ut biennio post scholam adire posset Morgenbesseri. Huius insigni liberalitate sustentatus est curaque eius traditus gymnasio Magdalenaeo a. XXXIII., cuius quintae classi adscripto optimi magistri contigerunt Schoenbornius, Klossmannus, Tzschirnerus. Cursu septem annorum confecto in Academia Vratislaviensi, quae ab a. XL. per triennium ab Hahnio, Boehmero, Mitteldorffio, Schulzio tradita in schedas coniecerat in feriis retractans, quum invenisset multa, in quibus acquiescere non posset, scripta patrum ecclesiae volutare coepit, quaeque ex iis cognovisset, in seminario theologico, cuius sodalis factus erat, adversus commilitones defendit. Eo in studio versans quum cognoscendas sibi dialectos Hebraeae linguae cognatas intelligeret, scholas Syriacas et Arabicas Bernsteinii frequentavit, quo in Italiam profecto Hahnius eum una cum filiis suis linguam Syrorum docuit. Praeterea in philosophia duces ei fuerunt Boehmerus, Branis, Nees ab Esenbeck, et in iure canonico, ecclesiastico, matrimoniali Gitzlerus. Absolutis quarto fere abhinc anno studiis academicis praeceptoris privati in quibusdam familiis functus est munere variaque bene superavit examina theologica.

DANIEL MEDACOVITS.

Natus Zermanjae in Croatia a. XIX. patre officiali Hungarico. Prima institutione Graesacii accepta studia litteraria et philosophica in Lyceo Zarae in Dalmatia sectatus est. Tum caussas egit in praetura per septem annos, quo officio relicto se in Serbiam contulit, ubi in publicum ministerium praeturae receptus scribae munere in curandis reditibus principis est functus. A. XLV. Viennam profectus annum et sex menses impendit audiendis lectionibus iuridicis et cameralibus. Philosophiae studiis Zarae et Vindobonae non expletum ardor animi impulit ut Berolini Micheletum Gablerumque attente audiret, librisque Hegelii incumberet.

MAURITIUS KURNIK.

Natus sum, Iudaeus, Cal. Nov. a. XVIII., Santomysli, oppido provinciae Posnaniensis, patre Salomone, matre Regina. Primis litterarum elementis im-

butus gymnasium Posnaniae frequentavi. XVIII. annos natus in seminario Brombergensi superato examine pro munere litteras elementares docendi, per tres annos publici praeceptoris officio functus sum, deinde per alios tres annos, domestici. A. XLIII. Berolinum me contuli, ubi totum me philosophicis et litterariis studiis dedi, simul lectiones in Universitate habitas audiens. Duobus annis post Vratislaviam migravi ibique inter cives academicos receptus, nomine apud philosophos dato scholis interfui philosophicis, philologicis, litterariis. Interea et ipse ad scribendum me contuli et duos fasciculos, (Ausgewählte Dramen analytisch erläutert, 1) Emilia Galotti, 2) Nathan der weise) conscripseram et fabulas complures, e quibus nonnullae iam in maioribus theatris editae sunt. Earum usque hoc tempus a me scriptarum, sed pro „manuscriptis“ tantum impressarum fabularum nomina haec sunt: Charlotte Corday; Der verbrecher aus dem volke; Die cabinetsordre; Ein dichter und sein diener. Novissime edidi maioris libri, Goethes frauencharactere, fasciculum primum.

OTTO FIEBIG.

Glaubitziensis.

Hic nihil de vita sua ad nos perscripsit.

FRIDERICUS GUILELMUS BERTHOLD.

Natus est a. XI. m. Dec. d. XX. patre Christophoro, qui Dresdae in suburbio parvam cauponam habebat. Puer ad Salzmanni praecepta, cuius scripta lectitabat, exercitationes suas conformabat, fugiens mollitiem. Septem annos alumnus fuit regii seminarii fnturis ludimagistris destinati, quae animo acuendo essent non multa praebentis, sed satis otii, quo multi discipulorum ad aemulationem in studiis utebantur. Examine bene superato scholae privatae Doeringii operam suam praestitit per quattuor annos, quibus horas exercitatione et praeparatione vacuas in linguam Gallicam impendit. Tum a magistratu Doebelnensi factus est primus puellarum praeceptor, cui rei se ita totum tradidit, ut post quadriennium muneris laboribus victus afflictaque valetudine, quum diligentissima cura vires refecisset, ad Latinas litteras accederet, duce Tittmanno, quibus ita delectatus est, ut non paucos scriptores Latinos legeret cupidissime, impetrataque triennali vacatione muneris nostra in Universitate litterarum scholas adiret Lindneri, Klotzii, Niedneri, Hauptii, Beckeri, maxime autem Hartensteinii atque Drobischii, a quo est ultimo semestri in societatem philosophicam receptus. Nec neglexit lectiones physiologicas et physicas. Rerversus ad munus Doebelnense non deposuit Latinarum litterarum exercitationes.

HENRICUS LUDOVICUS MARTIN.

Bornae IV. Cal. Febr. a. XVI. natus parentibus Io. Friderico, Christiana Dorothea Straubia, qui sex sibi filiis unaque filia natis, quamvis labore sudaret

pater, faber ferrarius, tamen quantam poterant curam liberis educandis adhibuerunt. In schola oppidi duos nactus magistros, Hessium, qui unice mentis vires exerceret, Muellerum, qui animum ad probitatem institueret, suasu Klemmii, tum diaconi Bornensis, nunc Zittaviae pastoris primarii, a parentibus impetravit, ut ludimagistrum fieri paterentur. Itaque missus ad quemdam ludimagistrum rusticanum, cuius ex parum fructuosa disciplina mox digressus domi discere necessaria studuit. Eodem anno praeceptor quidam in Borussia eum ad se vocavit, ut sibi in docendo adiutor esset. Ibi adolescens XVI. fere annorum valetudine per laborem indies magis labante, exploratus probatusque Weissenfelsae a Baeumlero sacrorum antistite, Deumenam se contulit ibique docuit pueros. Ibi iterum et accuratius tentato quum laeta spes affulgeret, XX. annos natus militiae nomen dare iussus est inter pedites. Sed eodem tempore in Saxoniam revocatus ut se delectui sisteret, vacationem militiae ut non idoneus accepit. Feliciter evenit, ut Neudorpium non longe a Doebelna, Dresdae ab Senatu ecclesiastico examinatus, instituendae iuventuti praeficeretur. Eo munere quadriennium fungens, quidquid otii relinqueretur, in artem musicam, in mediocrem siderum notitiam, in linguam Latinam impendit. Ibi orationem de schola spiritus sancti quasi officina, habitam Doebelnae in conventu collegarum, quum multi et qui ipsi audiverant et qui de ea ex diurnis scholasticis acceperant, maximeque ephorus conventus flagitarent, ut typis exscriptam ederet, tandem concessit. Maximis laudibus praedicat amicitiam F. G. Bertholdi, qui eum amore Latinarum litterarum incendit, in iisque tractandis, sicuti postea Hertelius, pastor Knobelsdorpiensis, eximie adiuvit. Eiusdem Bertholdi interventu factum est, ut Senatus Doebelnensis eum ultro invitaret ad munus docendarum in schola oppidana puellarum: in quo constitutus magis etiam litteris Latinis incubuit. Eo tempore lege lata de inferiore et superiore munere scholastico, consultis gravibus et peritis viris, retrusis ad aliquod tempus rebus scholasticis, ad altiora se studia persequenda praeparavit, spatioque vix annuo maturus inventus, a. XLIV. in Academia nostra Winero potissimum auctore litteras sacras est amplexus, audivitque docentes Drobischium, Hartensteinium, Weissium, me, Klotzium, cuius societati Latinae per tria semestria interfuit, Winerum, qui eum in societatem theologicam recepit. Praeterea valde laudat quum Schillingium et Grossmannum, tum Senatum Academiae omnem, quorum cura et liberalitate res eius sunt adiutae, ita ut aliquot commilitones in antiquis linguis instituere, societatique qaae se septimo quoque die Latine dicendo exerceret praeesse Rectoris magnifici permissu contigerit. Denique ut aliis in rebus plurimis sic etiam in ambiendo doctoratu philosophiae Bertholdi amicissimam liberalitatem vel invito illo silere se non posse profitetur.

CHRISTIANUS FRIDERICUS GOTTHOLDUS LOESCHER.

Hic quum in Universitate nostra philosophiae et philologiae studebat, perentes eius, Caspar Ehrenfredus et Io. Ludovica Schreiteria, qui Langenbaci prope Nivemontium praediolum possidebant, incendio damnum acceperunt, quo coactus

est praeceptoris domestici officia recipere. Contigit tamen, ut cum quodam divite Anglo Helvetiam, Italiam, et per octo septimanas Romam videret; deinde ut adolescentem ex scholae media classe secunda dimissum quinque semestribus, tribus autem comitem Alfredum de Schoenburgo, qui alioqui duos annos amplius in gymnasio mansurus erat, ad studia academica praepararet, nunc autem praeceptor apud legatum regis Bavaviae L. B. de Cetto Londinum abiret.

ADOLPHUS GUILIELMUS NEUMANN.

Custrini d. VII. Cal. Febr. a. XXII. ex matre de nobili gente Fischeria natum suscepit Io. Godofredus, qui illo in castello pro tribunali ad Viadrum provinciae de iure respondebat. Eo morte sibi erepto traditus gymnasio Francofurtano, quod Fr. Poppo regit, atque ab optimis magistris per novem annos eruditus, a. XLI. Halis theologiae et philologiae doctores sibi fuisse praedicat Tholuccium, Iul. Muellerum, Bernhardyum, Leonem, Roedigerum, Pottium. Deinde quum aliquamdiu Dresdae pictorum statuariorumque opera perlustrasset, Erlangam petiit, ubi in theologorum doctrinis praeter Engelhardtum, Thomasium, Hoeflingium, maxime Winerum laudat, cuius consuetudine, ut in philosophia Fischeri, frui potuit. Auctumo anni XLIII. peragrata parte Austriae per Alpes septemtrionales Italiae plagas visit, etiam ut catholica sacra accurate cognosceret. Tum Berolini, ut sibi publice docendae veteris testamenti theologiae potestatem pararet, Neandrum, Twestenum, Marheinekium, Hengstenbergium, Schillingium et Persicae ac Turcicae linguarum caussa Schottium audivit, tresque annos exercitationibus interfuit seminarii theologici, annuo stipendio ab Regio Ministerio auctus. Straussius, pastoris munere in regia fungens, ei Ottonem filium, theologiae studiosum, litteris Hebraicis instituendum commisit, Ordo autem theologorum in certamine publico laurea donandum est professus.

FRIDERICUS GUILIELMUS ANDREAS HUEBNER.

Natus sum a. d. VII. idus Septembres a. XXII., Suidnicii, patre Roberto, regi a consiliis iuris, ante decem annos morte lugubri mihi erepto, et matre Carolina e gente Feigia, quam deus ut diutissime mihi servet, quotidie ex intimo animo precor. Litterarum elementis eruditus, puer octo annorum gymnasium Suidniciense, quod tum temporis sub auspiciis Schoenbornii directoris florebat, adii, atque ibi per novem annos scholis praeceptorum clarissimorum interfui. A. XL. testimonium maturitatis adeptus, academiam Vratislaviensem petii, ubi per quinque semestria usque ad annum XLII. lectionibus theologicis, philosophicis et medicis virorum illustrissimorum, celeberrimorum et experientissimorum Boehmeri, Branisii, Elvenichii, Hahnii, Middeldorpfii, Neumanni, Schulzii, Stenzelii, Succowii, Thilonis interfui. Inde me Berolinum contuli, ubi per semestre Marheineckii et Vatkii scholas theologicas frequentavi, aliis praeterea hospitis instar

auditis. Per hoc tempus praecipue theologica tractavi, ut ad suscipiendum munus sacrum, cui iam a patre destinatus fueram, me praepararem, non neglectis tamen aliis disciplinis, inprimis archaeologicis. Absoluto triennio Berolini per semestre commoratus examine theologico primo pro venia contionandi superato Suidnicium redii. Proximis duobus annis praeceptor fui domesticus, quidquid otii haberem eo conferens, ut examen pro rectoratu scholae civicae et alterum pro ministerio prospero cum successu sustinerem. Labante valetudine domi brevi restituta, otium nactus, ad studium philosophiae et antiquitatum quasi novis viribus redii. Quamobrem initio huius anni Vratislaviam reversus ac denuo beneficiorum, quibus gaudent cives academici, particeps factus, scholas, quas Ambrosius de mythologia et de archaeologia artium veterum, Branis de religionis philosophia et de metaphysicis ex sua et ex Leibnitzii sententia, Kutzenus de historia Graeca habent, huiusque exercitationes historicogeographicas frequentavi. His viris omnibus summam semper gratiam habebo.

No. 7

DE INTERPOLATIONIBUS

EURIPIDEAE IPHIGENIAE IN AULIDE

DISSERTATIONIS PARS ALTERA

PRAEMISSA VITIS

XIX. AA. LL. MAGISTR. ET PHILOS. DOCTORUM

RECTORE MAGNIFICO

GUSTAVO HARTENSTEINIO

PHILOSOPHIAE THEORETICAE PROF. P. O. CET.

PROCANCELLARIO DECANOQUE

GODOFREDO HERMANNO

TH. IUR. U. PHILOS. D. PHILOL. PROF. P. O. ORD. SAX. VIRT. CIV. ET GRAEC. SERVAT. CENTURIONE. S. STANISLAI CLASS. II. ET BORUSS. BENE MERIT. EQUITE UNIV. ET ORD. PHILOS. SENIORE CET.

A. MDCCCXLVII ET MDCCCXLVIII

RENUNTIATORUM.

LIPSIAE

EX OFFICINA STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

Quod in priore parte dissertationis dicebam, non esse statim abiicienda quae interpolator non integra in lacero codice inventa perperam constituisset, confirmant systemata anapaestorum, quibus a v. 593. hemichoria inter se colloquuntur. Comparanti inter se systemata illa patebit Euripidem v. 594. scripsisse,

τὴν τοῦ βασιλέως
κούρην ἴδετ' Ἰφιγένειαν,
τὴν Τυνδάρεω τε Κλυταιμνήστραν.

V. 600. *τοῖς εὐδαίμοσι* excidisse quum in adnotatione demonstraverim, miror quod quibusdam non persuasi de re apertissima. Alterius hemichorii versus, quos foede corrupit interpolator, non omnes suppositos esse A. Seidlerus, qui quasdam mecum in hanc tragoediam adnotationes communicavit, ex Clytaemnestrae verbis quae sequuntur cognosci intellexit. Quum prioris hemichorii virgines retro cessurae viderentur, alterae hortantur ut maneant, quarum verba sic ferme scripta fuisse credibile est:

στῶμεν, Χαλκίδος ἔκγονα θρέμματα·
τὴν βασίλειαν δεξώμεθ' ὄχων,
μὴ γῇ σφαλερὸν πόδ' ἐρείσῃ,
συνεφαψάμεναι μαλακῇ ῥώμῃ,
μὴ ταρβήσῃ τὸ νεωστὶ μολὸν
κλεινὸν φίτυμ' Ἀγαμεμνόνιον,
καὶ μὴ θόρυβον μηδ' ἔκπληξιν
ταῖς Ἀργείαις
ξεῖναι ξείναις παρέχωμεν.

V. 616. Recte Barnesius *εὐλαβούμεναι.* Choro enim haec dicit Clytaemnestra. V. 618. videtur scriptum fuisse,

ἁβρὸν τιθεῖσα κῶλον ἀσφαλῶς πέδῳ,

vel *πέδοι*, vel *χαμαί*. Relictum in codice *ἀσ*.... inepte explevit interpo-

lator, qui de suo addidit versus 619. 620. sumptos ex v. 614. 615. quod ibi *εὐλαβούμενοι* legerat; *νεάνιδες* autem et *ἀγκάλαις* sumpsisse videtur ex v. 626. in quo ante supplementum ex v. 468. petitum sic scriptum fuerat,

λάζυσθ' Ὀρέστην ἀγκάλαις νεάνιδες.

Ceterum haec, *φοβερὸν γὰρ ἀπαράμυθον ὄμμα πωλικόν*, male intelligi video. Pavidos equos aegre tranquillari dicit: *φοβερὸν* formidantem significat, ut in Prometheo v. 144. et in Oed. R. 153.

Humi deposito a virginibus Oresti dicere Clytaemnestram quae v. 631. leguntur vidit Seidlerus. In versu qui sequitur supererat *μακαρί* … quod male supplevit interpolator. Debebat sic:

ἑξῆς κάθησο δεῦρό μου ποδὸς, τέκνον,
πρὸς μητέρ'. Ἰφιγένεια, σὺ δέ σε μακαρίσαι
ξέναισι ταῖςδε πλησία σταθεῖσα δός.

Monet Iphigeniam, ut gratulationes accipiat virginum. Etiam qui haec sequitur versus inepte integratus est. Fuerat opinor,

καὶ δεῦρο δὴ σὸν πατέρα προςστείχονθ' ὁρῶ.

Deinde v. 637. scribendum *ὑποδραμοῦσ' ἄρ'*, et v. 642. cum codd. *χρή*, nisi vulgatum *χρῶ* pravatum est ex *δρᾶ*. V. 649. recte Blomfieldius in gloss. Sept. c. Theb. 224. videtur *ἔκηλον* scribi voluisse, falsus tamen eo, quod *εὔκηλον* diversa significatione esse dicit. Immo epicorum est; unde in carmine melico apud Sophoclem Electr. 241. V. 643. assentior nunc Elmsleio *μάλιστα παίδων τοῦδ', ὅσους ἐγὼ 'τεκον* scribenti. V. 655. dubitari potest an *σέθεν* interpolatoris sit, quum *πάτερ* excidisset. V. 664. recte Porsonus, *ἄλλους ὀλεῖ πρόσθ' ἁμὲ διολέσαντ' ἔχει.* Quod dicit *ἅ*, necessitatem intelligit sacrificii. V. 670. rectius fortasse scribetur,

ἐς ταῦτ' ἐγὼ σοί, σύ τε, θυγάτερ, ἥκεις πατρί,

v. 672. autem,

εἴθ' ἦν καλόν σε κἀμέ σοι σύμπλουν ἄγειν.

V. 673. recte Porsonus,

ἔτ' ἔστι καὶ σοὶ πλοῦς, ἵνα μνήσει πατρός,

ut credat Iphigenia se prius quam nuptum detur alio deductum iri. Alioqui videretur illa nihil de nuptiis suis inaudisse. V. 677. recte puto receptum ab Hartungo esse quod conieceram, *ἔα γ'· ἐπεὶ οὐ χρὴ τοιάδ' εἰδέναι κόρας.* V. 681. Elmsleius *ἑστήξεις*.

V. 684. frustra laboratur in explicanda sententia. Excidit versus, fortasse per errorem ex *ἐκτὸς* quod in eo fuerat ortum:

χώρει δὲ μελάθρων ἐντός, [ὡς μετ' ἀνδράσιν
μωμητὸν οἴκων ἐκτὸς] ὀφθῆναι κόραις.

V. 707. recte sane Geelius ad Phoen. p. 219. *Θέτιν* requirebat, sed non opus erat ut *κόρην* potius expelleret, quam sine caussa iteratum *Πηλεύς*:

Πηλεύς· ὃ δ' ἔσχε Νηρέως κόρην Θέτιν.

V. 716. delendum puto *φεῦ*, quod videtur interpolator addidisse, quum in codice quem ante oculos habebat *γ'* esset omissum. V. 721. recte Dobraeus *ἀπάξεις*.

V. 733. quum non sit Atticum *πείθεσθαι* iunctum genitivo, scribendum puto,

τί χρῆμα; πείθεσθαι γὰρ εἰθισμεσθά σοι.

V. 743. recte Marklandus,

καλὸν τεκοῦσαν τἀμά μ' ἐκδοῦναι τέκνα.

V. 748. ineptum est additamentum interpolatoris.

Quos versus primum carminis chorici stropharum par male sibi respondentes habet, facile corrigi possunt. V. 771. etiam sine metri indicio *Φρύγες* pro *Τρῶες* scriptum fuisse apertum est. V. 772. *ἅλιος* scribendum pro *πόντιος*; v. 776. *Ζηνὸς κούρων*. Tanto turpius proximarum reliquiae stropharum ab interpolatore, qui eas pro epodo habuit, tractatae sunt. Videntur eae sic scriptae fuisse:

Πέργαμον δ' Ἴλιόν τε, Φρυγῶν πόλιν, στρ.
λαΐνους περὶ πύργους
θεόδμητά τε τείχη
κυκλώσας δόρει φονίῳ
πέρσας τε κατάκρας
θήσει λειπόπολιν κλαυθμόν.

μήτ' ἐμοί, μήτ' ἐμοῖσι τέκνων τέκνοις ἀντιστρ.
ἐλπὶς ἅδε πότ' ἔλθοι,
οἵαν αἱ πολύχρυσοι
Λυδαὶ καὶ Φρυγῶν ἄλοχοι
στήσουσι παρ' ἱστοῖς
μυθεῦσαι τάδ' ἐς ἀλλήλας.

Sequitur epodus, cuius primum versum Dobraeus emendavit, in altero interpolator *τανύσας* addidit:

τίς ἄρα μ' εὐπλοκάμου κόμας
ῥῦμα δακρυόεν πατρίδος

ὀλομένας ἀπολωτιεῖ
διὰ σὲ τὰν κύκνου δολιχαύχενος γόνον,
εἰ φάτις ἔτυμος ὡς σε Λή-
δα τέκεν ὄρνιθι πταμένῳ,
Διὸς ὅτ' ἀλλάχθη δέμας, εἴτ'
ἐν δέλτοισι Πιερίσιν
μῦθοι τάδ' ἐς ἀνθρώπους
ἤνεγκαν παρὰ καιρὸν ἄλλως.

Iam Achilles desidiae pertaesus convenire cupit Agamemnonem, non ille verens, ut Hartungus putat, ne languescat bellandi cupido apud eos, qui coniuges et liberos domi reliquerint, sed pari ardore omnes bellum expetere videns: quare versus 810. quaestionem contineat necesse est, nisi quis scribere volet *πᾶς ἐξ ἴσου γὰρ μένομεν Εὐρίπου πέλας.* Tum quibus argumentis alii Agamemnonem ut vela dare iubeat hortaturi sint, illis relinquens, ipse Myrmidonum impatientiam est declaraturus.

V. 830. restituenda editionum scriptura, *αἰνῶ σ', ὅτι σέβεις τὸ σωφρονεῖν.*

V. 845. seq. aut *περὶ γάμου* scribendum, aut addito *τε,*
πᾶσιν τόδ' ἐμπέφυκεν, αἰδεῖσθαι φίλους
καινούς θ' ὁρῶσι καὶ γάμου μεμνημένους.
Aliter redundaret *καί.*

V. 871. scribendum
ὁ λόγος ἐς μέλλοντ' ἂν ὡς εἰ χρόνον· ἔχει δ' ὄκνον τινά.

V. 894. recte Matthiae delevit copulam, v. 915. autem Marklandus scripsit *πρός σε δεξιᾶς.* V. 917. credam melioribus numeris Euripidem scripsisse,
οὐκ ἔχω βωμόν τιν' ἄλλον καταφυγεῖν ἢ σὸν γόνυ,
vel *καταφυγήν.*

V. 925. Excidit versus: vix enim dubitari potest, quin dixerit Achilles,
ὑψηλόφρων μοι θυμὸς αἴρεται πρὸς ὧν
ἤκουσα . . . .

V. 928. 929. qui in libris choro tributi sunt, non pugnabo si quis ab interpolatore additos censebit.

V. 940. nescio an rectius scribatur *τοσοῦτό σ', οἶκτον περιβαλών, καταστελῶ.*

V. 949. Hunc versum interpolator ex Helenae v. 462. *ὦ δαῖμον, ὡς ἀνάξι' ἠτιμώμεθα,* videtur sumpsisse.

V. 952. 953. Probanda esset Hartungi coniectura, *ἐγὼ οὐχί Πηλέως,* nisi hi duo versus ab interpolatore adiecti viderentur, repeti volente, quod v. 944. 945. dictum erat. Alieni enim sunt hic, ubi indignatur Achilles, quod posthabeatur Menelao.

V. 962. sententia negationem postulat: *τίς δὲ μάντις οὐκ ἀνὴρ ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει τυχών;*

V. 965. Recte Hartungus illud stolide atque importune dictum *μυρίαι κόραι θηρῶσι λέκτρον τοὐμόν*, interpolatori reddens scripsit,
οὐ τῶν γάμων ἕκατι δ' εἴρηται τάδε.
Quae v. 968. sequuntur turpiter corrupta, sic restituenda sunt:
χρῆν δ' αὐτὸν αἰτεῖν τοὐμὸν ὄνομ' ἐμοῦ πάρα
θήραμα παιδὸς σῆς, Κλυταιμνήστρα· σὺ δ' εἰ
λόγοις ἐπείσθης θυγατέρ' ἐκδοῦναι πόσει,
ἔδωκα τἂν Ἕλλησιν.
Perorationem Achillis v. 979. stultissimam esse nemo non concedet Marklando. Si lacunosos versus pro suo ingenio interpolator explevit, coniiciat quis scriptum fuisse,
ἀλλ' ἡσύχαζε· φῶς ἐγὼ πέφηνά σοι·
σωτήριος δὲ σὺν θεοῖς γενήσομαι.

V. 995. Si Clytaemnestra, ut interpretes putant, de nuptiis, quas olim uxorem ducens Achilles facturus esset, loqueretur, dicere deberet *σοῖσι μέλλουσιν γάμοις.* Nunc in librorum scriptura dicit, malum portendi Achilli, si per has quae futurae fingantur nuptias pereat Iphigenia.

V. 1029. scribendum,
καλῶς δὲ κρανθέντων πρὸς ἡδονὴν φίλοις,
σοί τἂν γένοιτο κἂν ἐμοῦ χωρὶς τάδε.

V. 1041. turpes habet numeros, nec *θεὸς* monosyllabum est post vocalem brevem, sed post longam, etiam sequente vocali, ut in Oreste v. 399. et Herc. fur. 346. utrobique in caesura:
δεινὴ γὰρ ἡ θεός, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος·
ἀμαθής τις εἶ θεός, ἢ δίκαιος οὐκ ἔφυς.
Excipiendae videntur duae breves vocales unius longae vice fungentes, ut in numero cretico Iphigeniae v. 1305. Quare scribendum:
σὺ δ', εἰ μέν εἰσιν θεοί, δίκαιος ὢν ἀνήρ.

In chorici carminis primae antistrophae initio non Thessalae virgi-

nes, sed praescius futuri centaurus Chiro Achillem lumen Thessaliae fore vaticinatur. Corrupta sic restituenda puto v. 1068.

„μέγα“ δ᾽ ἀνέκλαγεν, „ὦ Νηρηῒ κόρα;
Θεσσαλίδι πάτρᾳ μέγα φῶς,“
μάντις ὁ φοιβάδα μοῦσαν
εἰδώς „γεννάσεις“
Χείρων ἐξονομάζων,
„ὃς ἥξει χθόνα λογχήρεσι σὺν Μυρμιδόνων
ἀσπισταῖς Πριάμοιο κλεινὰν
γαῖαν ἐκπυρώσων,
περὶ σώματι χρυσέων
ὅπλων Ἡφαιστοπόνων
κεκορυθμένος ἔνδυτ᾽, ἐκ θεᾶς
ματρὸς δωρήματ᾽ ἔχων
Θέτιδος, ἅ νιν ἔτικτεν.“
μακάριον τότε δαίμονες
τᾶς εὐπατρίδος γάμον
Νηρῄδων ἔθεσαν πρώτας
Πηλέως θ᾽ ὑμεναίοις.

Sequebatur aliud par stropharum, cuius prior stropha in tam corroso videtur folio scripta fuisse, ut interpolator varios eosque partim perineptos explendi conatus tentaret. Quod nisi antistropha aliquanto integrior mansisset, ne divinandi quidem copia esset relicta. Sed quum tamen quid dictum fuerit agnosci posse videatur, licebit tale quid suspicari:

σὲ δ᾽, ὦ κόρα, στέψουσι καλλικόμαν στρ.
πλόκαμον Ἀργεῖοι, μελέαν
ὥς τινα μόσχον ὀρείαν,
βρότεον αἷμ᾽ ἀπαρξομέναν,
οὐκ ἐπὶ φόνον, οὐδὲ θεᾶς
βωμῷ θῦμα τραφεῖσαν,
παρὰ δὲ ματέρι νυμφοκόμον
αὔχημ᾽ εὐδοκίμων γάμων
κλεινοῖς Ἰναχίδαισιν.

ποῦ δ᾽ ἂν τὸ τᾶς αἰδοῦς σθένειν τίν᾽ ἔχοι ἀντιστρ.
δύνασιν, ἢ τὸ τᾶς ἀρετᾶς
σωφροσύνας τε πρόςωπον,

ὁπότε τὸ μὲν ἄσεπτον ἔχει
δύναμιν, ἁ δ᾽ ἀρετὰ κατόπι-
σθεν θνατοῖς ἀμελεῖται,
ἀνομία δὲ νόμων κρατεῖ,
καὶ μὴ κοινὸς ἀγὼν βροτοῖς,
μή τις θεῶν φθόνος ἔλθῃ.

In proxima scena, ubi Clytaemnestra confiteri Agamemnonem cogit sacrificandae filiae consilium, valde perturbatum esse ordinem versuum, nec dicta se iusto ordine excipere, non est obscurum. Sensit hoc Hartungus, sed qua ille ratione versus collocavit, ea non videntur omnia ita procedere, ut nihil inconcinnitatis relinquatur. Ego quidem re accurate perpensa, postquam Agamemno quaesivit ex filia quid fleat, sic existimo confessionem fraudis ab eo extorqueri:

ΚΛΥ. φεῦ,
τίν᾽ ἂν λάβοιμι τῶν ἐμῶν ἀρχὴν λόγων;
ἅπασι γὰρ πρώτοισι χρήσασθαι πάρα,
κἀν ὑστάτοισι κἀν μέσοισι πανταχοῦ.
ΑΓ. τί δ᾽ ἠδίκησαι; ΚΛΥ. τοῦτ᾽ ἐμοῦ πεύθει πάρα;
ὁ νοῦς ὅδ᾽ αὐτὸς νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνει.
ΑΓ. τί δ᾽ ἔστιν; ὥς μοι πάντες εἰς ἓν ἥκετε,
σύγχυσιν ἔχοντες καὶ ταραγμὸν ὀμμάτων.
ΚΛΥ. εἴφ᾽ ἃν ἐρωτήσω σε γενναίως, πόσι.
ΑΓ. σὺ δ᾽ ἥν γ᾽ ἐρωτᾷς εἰκότ᾽, εἰκότ᾽ ἂν κλύοις.
ΚΛΥ. οὐκ ἄλλ᾽ ἐρωτῶ, καὶ σὺ μὴ λέγ᾽ ἄλλα μοι.
ΑΓ. οὐδὲν κελευσμοῦ δεῖ μ᾽· ἐρωτᾶσθαι θέλω.
ΚΛΥ. τὴν παῖδα τὴν σὴν τήν τ᾽ ἐμὴν μέλλεις κτανεῖν;
ΑΓ. ἔα,
τλήμονα γ᾽ ἔλεξας ὑπονοεῖς θ᾽. ΚΛΥ. ἔχ᾽ ἥσυχος,
κἀκεῖνό μοι τὸ πρῶτον ἀπόκριναι πάλιν.
ΑΓ. ὦ πότνια μοῖρα καὶ τύχη, δαίμων τ᾽ ἐμός.
ΚΛΥ. κἀμός γε καὶ τῆςδ᾽, εἷς τριῶν δυςδαιμόνων.
ΑΓ. ἀπωλόμεσθα· προδέδοται τὰ κρυπτά μου.

Res ipsa loquitur. Quare hoc tantum addo, eiecisse me v. 1143. ἃ μή σε χρή, quae explendae sententiae caussa videntur adscripta fuisse, unde ἔχ᾽ ἥσυχος pro singulari versu habitum. Atque aptius est, interpellari dissimulare volentem quid sit machinatus.

V. 1159. scribendum,

βρέφος τε τοὐμὸν ζῶν προςούδισας πάλῳ,

Egregia Scaligeri coniectura est *προςουδίσας*, qui tamen non debebat *πάλῳ* in *πέδῳ* mutare; Iacobsio autem debetur *ζῶν*. Deinde v. 1161. recte Marklandus, *καὶ τὼ Διός σε παῖδ', ἐμὼ δὲ συγγόνω ἵπποισι μαρμαίροντ' ἐπεστρατευσάτην*. V. 1165. scribendum *οἷς σοι καταλλαχθεῖσα*. V. 1176. displicent duo continui anapaesti, ut praestet *Ἑλένην Μενέλεως*. Ibidem scribendum puto:

καλὸν κλέος,
κακῆς γυναικὸς μισθὸν ἀποτῖσαι τέκνα,
τἄχθιστά γ' εἰ τοῖς φιλτάτοις ὠνούμεθα.

h. e. si vel inimicissima carissimis emimus. V. 1188. recte Reiskius *ἐνδεῖ* scribendum esse, et hos tres versus interrogando dici vidit, hac sententia: num levi tantum praetextu opus est, ut te ego et quae superstites erunt filiae ita ut meritus eris excipiamus? V. 1202. nunc malim, *ἐὰν αὐτοὺς σὺ προθέμενος κτάνῃς*. V. 1212. non opus videtur Hartungi coniectura *παῖδ' ἀποστερήσομαι*, quum ferri possit *παιδὸς ὑστερήσομαι*. Thucydides III. 31. *ἐπειδὴ τῆς Μυτιλήνης ὑστερήκει*.

V. 1220. expulsa interpolatoris sapientia, quam hausit ex Alcest. 358. scribendum:

εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον,
πείθειν ἐπᾴδουσ' οὓς ἐβουλόμην λόγοις,
ἐνταῦθ' ἂν ἦλθον.

V. 1236. restituendum *ἀντιλάζομαι*, si vera est observatio Elmsleii, Atticis *λάζυσθε* tantum imperativo dici. V. 1237. scribendum videtur, *τί δ' αὖτ' ἐγώ σε πρέσβυν; ἆρ' ἐςδέξομαι.*

V. 1255. scribendum *ἀλλ' αἴδεσαί με καὶ κατοίκτειρον βίον*. V. 1267. Credam Euripidem scripsisse, *ὃ μὲν νεοσσὸς οὗτος, ἣ δ' ηὐξημένη*. V. 1267. recte editor Britannus Reiskii *δεινῶς δ' ἔχει μοι* vindicavit.

V. 1276. 1277. Hi duo versus non minus inepti sunt, quam quae similiter scripta v. 534 — 537. eiici debere dictum est.

V. 1285. Bene animadvertit editor Britannus, non debuisse hic virgines Chalcidenses compellari, sed iterandum fuisse *ὦ τέκνον*. Bene etiam Hartungus intellexit, respondere inter se anapaestos Clytaemnestrae et Iphigeniae, sed latuit eum aptior explendi via, quae talis est:

ὦ τέκνον, ὦ τέκνον, οἳ 'γὼ θανάτου
τοῦ σοῦ μελέα· φεύγει σε πατὴρ
Ἅιδῃ παραδοὺς κατενεγκεῖν.

In melicis quae sequuntur editor Britannus, qui miro errore non vidit *θεαῖς* v. 1305. non de tribus deabus, quae ad Paridis iudicium venissent, sed de nymphis dictum esse, multa non bene administravit. Versus 1310 — 1313. languidissimum additamentum sunt interpolatoris, a cuius importunitate liberandi sunt etiam anapaesti v. 1325 — 1335, quos sic scriptos fuisse veri simile est:

μή μοι ναῶν χαλκεμβολάδων
πρύμνας ἅδ' Αὐλὶς δέξασθαι
τούςδ' εἰς ὅρμους
ὤφελεν ἐλάταν πομπαίαν,
μηδ' ἀνταίαν Εὐρίπῳ
πνεῦσαι πομπὰν Ζεὺς εἱλίσσων
αὔραν ἄλλοις ἄλλαν θνατῶν
λαίφεσι, τοῖς μὲν
χαίρειν, ἄλλοισι δὲ λύπαν.

V. 1357. insolentior productio sic removenda videtur:

ΑΧ. αὐτὸ τοῦτο. ΚΛ. τίς ἂν ἔτλη δὲ σώματος τοῦ σοῦ θιγεῖν;

V. 1361. videtur *εὖνιν* scribendum.

V. 1388. certo non est Euripidis, ac vereor etiam ne pro duobus qui praecedunt hic unus ab eo positus fuerit:

τὰς δὲ μελλούσας γυναῖκας μηκέθ' ἁρπάζειν ἐᾶν.

V. 1397. recte Hartungus:

τί τὸ δίκαιον τοῦτ'; ἔχοιμεν ἆρ' ἂν ἀντειπεῖν ἔπος;

Quae a v. 1440. Achilles Iphigeniae dicit, interpolator mira perversitate iudicii ineptissimis versibus auxit, quibus eiectis haec remanet digna Achille oratio:

Ἀγαμέμνονος παῖ, μακάριον μέ τις θεῶν
ἔμελλε θήσειν, εἰ τύχοιμι σῶν γάμων.
ζηλῶ δὲ σοῦ μὲν Ἑλλάδ', Ἑλλάδος δὲ σέ·
μᾶλλον δὲ λέκτρων σῶν πόθος μ' ἐςέρχεται
ἐς τὴν φύσιν βλέψαντα· γενναία γὰρ εἶ.
ὅρα δ', ἄθρησον· ὁ θάνατος δεινὸν κακόν,
χρήσει δὲ καὶ σὺ τοῖς ἐμοῖς λόγοις τάχα,
ὅταν πέλας σῆς φάσγανον δέρης ἴδῃς.

Ad haec statim respondet Iphigenia v. 1428 — 1432. quos sequuntur illi sex Achillis, quos in editione mea posui. Tum abit Achilles.

In melicis, quibus quae genuina sunt finiuntur, nihil est quod iure

suspectum sit, praeter additum v. 1521. *σφαγεῖσαν.* Nam et metrum requirit dochmium, et sententia opus est tali, *σπεῦδε δὲ πρὸς τὸ δέον.* Infelices conatus, quibus quidam non solum metra, sed omnem carminis concinnitatem et venustatem perdiderunt, refutari non est operae pretium. Quae post v. 1536. addita sunt, multo post Euripidem ab homine valde inducto assuta esse monuit Porsonus. Euripides quo modo fabulam finiverit nescimus, possemusque in huius rei ignoratione acquiescere, nisi Aelianus in historia animalium VII, 29. scripsisset, *ὁ δὲ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ·*

ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φίλαις
κεροῦσσαν, ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
σφάζειν θυγατέρα.

Quos versus quum Musgravius in prologo Agamemnoni ab Diana dictos putasset, Bremius, et, ut videtur, Porsonus eos in extrema fabula positos iudicarunt, et Bremius quidem deam non Agamemnonem, sed Clytaemnestram consolatam esse existimavit. Hunc refutare studuit A. Matthiae eo, quod Euripides nusquam deorum interventu utatur, nisi ubi dignus vindice nodus incidat, ubi autem quo modo quid gestum sit explicet, semper deum post narrationem rei actae introducat: id vero pugnare cum versibus ab Aeliano servatis, ex quibus appareat nescire voluisse Dianam Graecos Iphigeniam ab se servatum iri (aliud agentis calamo excidit servatam esse): unde suspicatus est versus illos alius potius poetae quam Euripidis esse. Bremius quidem ut eos versus a prologo removeret hoc argumento uti debebat, quod ex tali initio nullo pacto emergere aliqua tragoedia potuerit: nam sive Agamemno sive Clytaemnestra consilium deae cognitum haberet, aut alteri aut ambobus nulla caussa esset metuendi dolendive de sorte filiae, sed securi vana specie sacrificii Menelaum, Achillem, denique totum exercitum Graecorum ludos facerent. Matthiae vero parum circumspecte iudicavit, quum tolli difficultatem putavit, si versus illos ad alium poetam referret: manet enim difficultas, quia res per se absurda videtur: quae si defendi non potest, iniquum est alium poetam absurditatis insimulare, ut culpa liberetur Euripides; sin potest defendi, cur feratur in alio, in Euripide autem non feratur? Et credo ego posse optime, et ita ut etiam necessario introductam esse deam appareat. Peragi sacrificium, ad quod tota tragoedia spectat, omnino debuit: itaque etiam necesse erat, ut Clytaemnestrae choroque nuntius aliquis narraret quo modo et Iphigenia ex oculis spectantium sublata et eius loco cerva humi iacere visa esset. At eo res non est absoluta. Quaerimus enim quid factum virgine sit, quis eam sustulerit, quo sit abrepta. Ad quae quum nemo respondere possit praeter Dianam, manifesta est deae adhibendae necessitas. Nunc poterat quidem poeta deam in scenam producere: sed intelligebat graviore aliqua caussa opus esse ut dea se in conspectum daret, quam, quae sola cogitari potest, ut aliquid solatii praeberet Clytaemnestrae. Quare prudenter eiusmodi rationem iniit, quae nec praesentiam deae exigeret, nec tamen careret eius auxilio. Verba quae servavit Aelianus quum aeque Agamemnoni ac Clytaemnestrae dici potuerint, non dubium est quin dicta sint Clytaemnestrae. Agamemnoni enim irata erat Diana, nec caussam habebat cur eum consolaretur: tanto dignior miseratione erat Clytaemnestra, cui falso praetextu turpiter ereptam filiam impius pater morti tradiderat. Est autem praeter chorum Clytaemnestra maxime, cui nuntius ut peractum sit sacrificium exponere debeat. Quod ille ubi fecit, veri simillimum est respondisse ei Clytaemnestram, acquiescere se eo quod actum sit; ipsam enim deam interea, dum occupatus in immolanda filia esset Agamemno, sibi adstitisse, exposuisseque quo pacto servatura esset Iphigeniam, quam sibi Tauris in templo suo sacerdotem facere constituisset. Solet enim Euripides in fine tragoediarum futura patefacere, ne quid deesse ad integritatem argumenti videatur. Hoc igitur modo si fabulam ab eo compositam putabimus, neque absurdi quidquam in illa praedictione Dianae erit, nec discessisse poeta a consuetudine sua, sed tenuisse eam potius videbitur accuratissime.

Hoc anno semisaeculares honores suos gratulatus est Ordo Philosophorum his:

seni venerabili

CAROLO BENIAMINI SCHADE,

Soraviae Lusatorum consistorii assessori, contionatori sacro in aede arcis, inspectori scholarum, viro de rebus sacris et scholasticis meritissimo merentissimo, scriptis florentissimarum Europae linguarum scientiam atque usum monstrantibus grandique Fr. Schilleri musa Italicis numeris vocali

clarissimo, auspicati die XXIV. m. Novembris ante L. annos muneris publici in solemnibus, renovata rite adeptorum a. MDCCXCVI. summorum id philosophia honorum memoria;

viro maxime venerabili

CAROLO FRIDERICO ZEIGERMANNO

Querfurti regio paroeciae praefecto primoque rerum sacrarum antistiti meritissimo merentissimo, quem anno abhinc LI honoribus nostris ornatum simul muneris ecclesiastici die IV. m. Novembr. huius anni per dimidiatum saeculum summa fide ac religione administrati recordatione felicem praedicat;

viro perillustri excellentissimo doctissimo

GOTTHELF FISCHERO DE WALDHEIM

med. et chirurg. doctori, Autocratori Rutheniae potentissimo a consiliis publicis, societatum imperialium medicochirurgicae Moscoviensis et naturae scrutatorum alterius praesidi, alterius praesidi vicario, ordinis Saxon. virt. civ. centurioni, ordd. Stanislai primae et s. Wladimir tertiae classis equiti, multarum Societatum eruditarum socio, munerum Lipsiae, Moguntiae, Moscoviae sollertissime gestorum laudibus, meritorum de studiis litterarum multitudine et magnitudine, ingenii animique virtutum splendore per quidquid est cultarum gentium celebratissimo;

viro maxime venerabili

IOANNI DANIELI SCHULZIO

Geringswaldae primo sacrorum antistiti meritissimo merentissimo, qui olim apud nos doctor privatus, deinceps ad regenda gymnasia Luccaviense, Duisburgense, Misenense vocatus a discipulis, quos aeque virtutis ac litterarum amore incendit, maxima pietate colitur;

viro excellentissimo

IOANNI THEOPHILO KREYSSIGIO

ord. Sax. virt. civ. equiti, in schola Afrana professori secundo, ex longo tempore meritissimo merentissimo, antiquarum litterarum explanatori eruditissimo elegantissimo, cui doctam frontem sempervirenti lauro Latinae cinxerunt Camenae;

praecipue autem die XVI. m. Septembris,
quem diem, ni mors Alberti Braunii, professoris materiae medicae et therapiae generalis, inopinato luctu Academiam urbemque implesset, sollemni consalutatione quum noster Ordo tum Ordo Medicorum celebraturi eramus,

carissimo collegae

viro experientissimo excellentissimo

CHRISTIANO FRIDERICO SCHWAEGRICHENIO

med. et chir. Doctori, Ordinis Medicorum Seniori, historiae naturalis et botanices professori p. o.

qui omnem rerum naturam et animatam et inanimatam accurata scientia complexus, universam historiam naturalem quum scriptis tum scholis in Academia habitis dilucide enarravit comparatisque amplissimis lapidum metallorum germinum animalium copiis et horto botanico Lipsiae constituto ante oculos positam commonstravit, honoratus sodalitate doctarum societatum intra et extra Europam, cuius plurimas regiones itineribus perragravit, celebratus pia recordatione numerosorum discipulorum, probatus amicis constantissima in laetis et adversis rebus fide, carus et venerabilis omnibus qui eius consuetudine usi sunt propter eximiam morum humanitatem et suavitatem singularemque animi ultro aliorum saluti commodove prospicientis modestiam.

Honoris caussa d. dom. XIX. p. f. Trin.
philosophiae doctor et bonarum artium magister creatus est

LUDOVICUS GUILIELMUS GOTTLOB SCHLOSSER

Roda Ositiensis, Grosszschocherae in dioecesi Lipsica ab a. MDCCCXI antistes sacrorum meritissimus merentissimus, scriptis accuratae doctrinae eximiaeque eruditionis testibus clarus, qua die ante hos quinquaginta annos Drakendorfii prope Ienam munus sacrum, quod summa fide religione sapientia humanitate gessit, auspicabatur.

Creatis superiore anno doctoribus philosophiae addendus est

HENRICUS BENIAMIN WITZSCHEL

Ossitiensis

candidatus altioris muneris scholastici,

qui quod sub ipsa novi rectoratus auspicia honorem magisterii consequebatur, tum renuntiari non poterat. Sequuntur vitae hoc anno creatorum.

HERMANNUS AUGUSTUS LOHSE.

Natus Limbaci Variscorum a. XX. a patre Aenotheo, scholae ibi praefecto, qui praeter alias miserias nuper infelici casu dextrae manus iacturam fecit, arte musica, a matre Ioanna e gente Maeckelia aliis necessariis artibus institutus, a. XXXIII. in Lyceum Plaviense receptus est, ut se seminario formandis praeceptoribus destinato praepararet, sed consilio Schoedelii studia classica amplexus, quantum arte musica aliisque rebus docendis victum quaerenti licebat, relicto a. XLI. gymnasio, apud nos philosophiae ac theologiae operam dedit, praedicans maxime Hartensteinii, Tuchii, Wineri, Niedneri, Krehlii benevolentiam. A. XLV. pro potestate contionandi examinatus, Tuchii, cui per triennium a manu fuit, hortatu linguae Hebraicae disciplinarumque theologiae practicae caussa in societatibus, quas Krehlius, Niednerus, Lindnerus, Tuchius regunt, exercitatus, quum privatim docendis pueris vitam toleraret, totum se dedit arti paedagogicae. A. XLVI. praeceptor in schola pauperum factus, scripturisque societatis a Gustavo Adolpho nomen habentis adhibitus, nuper catechetae ad aedem St. Petri munus impetravit.

CONRADUS HOFMANN.

Bantiae prope Bambergam natus XVIII. Cal. Dec. a. XIX. disciplina usus est gymnasii Bambergensis ab a. XXX ad XXXVII. quo in universitatem Monacensem transiit. Ubi per triennium Schellingius eum, non item Goerres, diligentissimum auditorem habuit. Thierschio magistro litteras Graecas tantum amare coepit, quantum antea ab iis praeceptorum vitio abhorruerat. Inde medicinae studium aggressus, sed biennio post pertaesus, ad linguarum tractationem rediit, Indicae praecipue operam navans. A. XLVI. apud nos Fleischerum et Brockhausium doctores habuit, quumque anni proximi primis mensibus Berolini codices Indicos volutasset, rediit in patriam.

ERNESTUS ADOLPHUS EDUARDUS CALINICH.

Pridie Id. Mart. a. VI. Budissae natus patre custode portorii, ex schola civica in gymnasium urbis transgressus, a. XXIV. nostra in universitate philologos, philosophos, theologos audire coepit, ubi a. XXVII. H. A. Lipsio de modorum usu in N. T. publice disputanti socius fuit. Absoluto cursu academico paedagogi officio fere per triennium in domo comitis de Platen, et Tetzneri, mercatoris Chemnitiensis, functus, vices Becheri, rectoris gymnasii, qui se munere abdicaverat, gessit donatusque a primae classis discipulis est annulo aureo et libro memoriali. Dein schola privata ibi septem menses administrata, in schola civica superiore, quae condita erat, coniunctoque cum ea progymnasio septem annos linguas Germanicam, Graecam, Latinam aliasque litteras docuit, quumque a. XXXVI. instituta esset schola technica, in hac fere per biennium magister fuit linguae Germanicae, inque schola diebus solis patente opificibus lectiones habuit historicas et geographicas, unde ab illis honore socii est ornatus. A. XXX. Dresdae examen pro candidatura subiit. A. XXXVIII. duo ei oblata sunt munera subrectoratus progymnasii Chemnitiensis et directoratus vicarii seminarii Fridericopolitani regii Dresdensis, quem adhuc tenet. A. XLIII. examinator creatus est altiora munera paedagogica petentium. Ab a. XXXV. inde complura edidit scripta paedagogica.

IULIUS CAESAR HAENTZSCHE.

Pater huic fuit Fridericus Eduardus, mercator, mater est Ioanna Christiana e gente Rissia, quibus a. XXIV. d. XV. m. Iunii natus Dresdae, ubi ex schola quadam minore aetatis a. X. ad scholam s. crucis accessit, cuius ex classe tertia ad rem pharmaceuticam transiit. Ei per triennium operatus, apud nos, quum in schola Thomana maturus iudicatus esset, studiosis medicinae est adscriptus. A. XLVI. baccalaureus factus, deinceps superavit examina chirurgicum, pathologicum, anatomicum, obstetricium. Praeter medicos laudat praeceptores etiam Hartensteinium, Drobischium, Weberum, Fechnerum, Naumannum, Poeppigium, Schwaegrichenium.

FRIDERICUS THEODORUS VOLKMAR DZONDI (vulgo SCHUNDENIUS).

Natus sum Dresdae a. h. s. VIII., patre Carolo Friderico Christiano, rectore vicario seminarii, in quo Fridericopoli Dresdensi ludimagistri futuri instituuntur, matre Sophia Philothea e gente Philippia. A quibus liberaliter educatus, atque ab ipso patre litterarum studiis imbutus, quum scholam, quae Dresdae est ad aedem crucis, per breve tempus adiissem, civibus academicis primum Halae, quo patrui professoris anatomiae benignitas et Gesenii, Wegscheideri aliorumque nomina vocabant, tum Lipsiae me adscribendum curavi, ut institutionibus theologorum et philosophorum interessem et rerum physicarum cognitionem, quantam per temporis angustias liceret, mihi compararem. Celeberrimis in utraque urbe magistris auditis, haud parum quidem vexatus et doctorum et doctrinarum inter se pugnantium sententiis, a. XXXII, examine theologico superato, in numerum candidatorum R. M. receptus sum. Multum ex illo inde tempore versatus in artibus liberalioribus tractandis et docendis, mortuo Binkavio, rectore scholae privatae Dresdensis, eorum usui, qui ad studia et doctrinas accinguntur patentis, illius partes ante hos fere decem annos in me suscepi.

HENRICUS THEODORUS FLATHE.

Henrico Iacobo, Tannebergae prope Misenam antistiti eiusque uxori obitu unicae filiolae dolentibus hic exoptatus lucem adspexit Cal. Iun. a. XXVII. postea-

que de quattuor filiis simul scarlatina laborantibus solus superstes solatio fuit, sollicitam matris curam infirmae eius valetudini prospicientis expertus. Diligentissime a parentibus instituto, linguaque Gallica ab Urania Chapui, virgine Helvetia, imbuto adeunda fuit Nossenae schola collecta, quum pater insanabili morbo per biennium se a muneris officiis abstinere coactus a. XXXVIII. ei morte ereptus esset. Paullo post mater cum duobus filiis qui de septem ei relicti erant, uno tribus post patrem mensibus mortuo, Lipsiam, suam et mariti patriam urbem, commigravit. Hic quum a. XXXIX. per semestre spatium doctrina scholae Thomanae usus esset, receptus est in Afranam, in qua petulantiae sodalium et superbiae discipulorum primae classis minus patientem erexit Dillerus professor, qui patri eius coniunctissimus fuerat, et ex discipulis Theodorus Schmidtius, qui ei praepositus datus erat, nunc nosocomii Chemnitiensis medicus secundarius. Evectum ad secundam classem gravis morbus per septem hebdomades a studiis retinuit. Non cessit tamen suadentibus ut propter corporis imbecillitatem recederet ab litteris, sed novo iis se dedit ardore. Ita a. XLV. schola relicta Lipsiae theologiae nomen dedit, sed mox ad historiae, qua iam Misenae delectatus erat, et philosophiae doctrinas incubuit, Wachsmuthio potissimum magistro utens.

RUDOLPHUS SIGISMUNDUS IOANNES LOEWENSTEIN.

Natus sum X. Cal. Mart. anni h. s. XIX. Vratislaviae patre Iosepho, mercatore, matre Elisabeta e gente Seligeria, Iudaeis, quos praematura mors mihi eripuit. Iam ab ineunte aetate sacris Christianis initiatus fidem confiteor evangelicam. Primis literarum elementis in Orphanotropheo Boleslaviensi imbutus quindecimo anno aetatis adii gymnasium Glogaviense. Paullo post propinquorum voluntate in patriam urbem redux, ab Elisabetani egregiis praeceptoribus, quorum optime de me meritorum memoriam nunquam deponam, in litteris sum eruditus. Maturitatis testimonio ornatus mense Aprili anni h. s. XL. almam universitatem litterarum Vratislaviae adii. Ibi per tria semestria interfui scholis philologicis Schneideri, Haasii, Ambrosii, Freitagii, Hoffmanni, botanicis Neesii ab Esenbeck, philosophicis Branissii, Rohovskii. Anno XLI. ineunte Octobr. Berolinum me contuli, ibique nomine apud philosophos dato, per quinque semestria virorum doctissimorum lectionibus interfui, philosophicis et paedagogicis Trendelenburgii, Schellingii, philologicis Boeckhii, Lachmanni, Grimmii, Zumptii, Heysii, archaeologicis Panofkae Gerhardique, quorum omnium de me merita, grata piaque tenebo memoria.

WALTHERUS FRIDERICUS ADOLPHUS BEHRNAUER.

Hic nihil de vita sua ad nos perscripsit.

IOANNES CAROLUS LUDOVICUS GOERKE.

Tobae, pago principatus Schwarzburgici, VII. Id. Mai. a. XI. natus Io. Carolo Godofredo artem medicam, chirurgicam, obstetriciam exercenti et Fridericae Car. Eleonorae e gente Meyeria anno aetatis XIII. Ebelebiae adscriptus est publicis scholae Latinae alumnis. Inde morte patris in magnas rei familiaris angustias coniectum Schirlitzius in gymnasium Nordhusanum recepit a. XXIX. Hunc et Meyerum, gymnasii tum rectorem, avunculum suum, patronos paterno amore benevolos habuit, laudatque valde etiam ceteros magistros, quorum institutione biennio pervenit eo, ut posset academiam Gottingensem adire. Ibi principis Schwarzburgici indulgentia contigit ei, ut iis qui sumptu principali aluntur insereretur. Itaque philosophiae ibi ac theologiae doctores clarissimos audivit, quorum Lueckius eum in societatem exegeticam recepit, Ewaldus autem et Gieselerus benevolentissime liberalissimeque adiuverunt. A. XXXIII. Ienam adiit, benigneque a Baumgarten-Crusio et Schotto, quibus commendatus erat, acceptus, per eosque etiam collegas eorum fautores nactus, locum in convictorio academico impetravit. Praecipue vero illos duo, quos diximus, non satis a se laudari posse ait, quorum alter ei liberalissime librorum suorum copiam dedit, alter autem bibliothecae suae praefecit. Praeter theologos etiam Eichstadium, Handium, Goettlingium, Scheidlerum, Ludenum, Brzoskam, Stickelium, et cuius familiari consuetudine gavisus est Reinhardum, praeceptores habuit. Praeterea adscriptus seminariis theologico, homiletico, catechetico, paedagogico, Schottique et Handii hortatu receptis officiis praeceptoris vicarii in schola gratuita, eaque quae diebus solis patet, opportunitatem se exercendi nactus est amplissimam. Constituerat etiam Lipsiae studia sua persequi, sed labefacta laboribus valetudine impeditus petiit a supremo Senatu ecclesiastico Sondershusano, ut ad examen pro candidatura R. M. admitteretur: quo probatus primus inter quattuor candidatos in album est relatus. Valetudine aere montano, aquis salubribus, assis sudationibus, fluctibus marinis, itineribus restituta, Nordhusae munus regendae scholae mercatoriae, ad quod a Sturmio vocatus erat, superato examine suscepit a. XXXVI. Eam scholam Sturmius a. XXXVIII. dimisit. Rogatus saepe ut ipse scholam institueret, denique cessit, approbataque ab senatu Nordhusano ratione, quam proposuerat, victis quae peregrino obiiciebantur impedimentis, auctoritate supremi in regno Borussico rerum ecclesiasticarum et scholasticarum consilii a. XLIII. institutum puerorum erudiendorum aperuit, eiusque factus est director.

AUGUSTUS HERMANNUS RICHTER.

Natum Wurzenae Id. Nov. a. XXIII. quum pater Theophilus, ICtus, primo ipse instituisset, mercaturae operam daturum in disciplinam dedit mercatori cuidam Chemnitiensi: sed cognito isto negotio litterarum studia multum praeferenti, quum repentina morte ei frater ereptus esset, pater caussam eius mortis labores mercatorios fuisse ratus, libenter permisit ut ludum litterarium adiret. Itaque

annos natus XIV. novem mensibus imbutus Graecis Latinisque litteris inter alumnos gymnasii Grimensis receptus est, cuius disciplina quinque annos usus, a. XLIII. se in universitatem nostram contulit, ubi valde attritis eius facultatibus diuturno morbo fratris, candidati theologiae, sed sublevatus beneficiis nonnullis tradere se potuit studiis philosophiae et theologiae, quod quum diligenter fecisset, a. XLVI. superato examine adscriptus est candidatis theologiae. A. XLVII. vocatus a comite de Keyserling ad munus praeceptoris domestici in Curoniam abiit. Ibi nihil sibi adversi accidisse scribit, quam quod ei nuntiata est mors dilecti patris.

AEMILIUS GUSTAVUS REINHARDUS BORNEMANN.

Budissae natus Cal. Iun. a. XXIV. patre Carolo, scholae ibi publicae directore, matre Ioanna Aemilia Kummeria. In schola publica, quacum privata coniuncta erat, quum praeceptores eum praecipuis, fratrem eius natu maiorem non exiguis ingenii dotibus praeditum censerent, factum est ut sui diffidentia captus iniucundam illius temporis recordationem retineret, praeter biennii fere, quo usus est salubri disciplina Broesingii, scholae directoris. A. XXXVI. in gymnasium Budissinum transiit, in quo qui tum magistri erant partim senio partim disciplinae diversitate crebrisque novationibus impediebant magis quam alebant studia philologica. A. XLIII. Academiae nostrae adscriptus alacriter se dedidit philosophiae ac theologiae, non neglectis philologiae atque historiae studiis. Publicis scholis addidit privatas societatis theologicae Lusatorum, quibus per quinque fere annos fruitur. Superato examine pro candidatura et potestate contionandi a. XLVI. instituendos accepit liberos professorum Buelavii, Weiskii, Hannseni.

IOANNES RUDOLPHUS WAGNER.

Io. Theophilo, bibliopolae, ex Carolina Sophia de gente Brommia natus Lipsiae d. XIII. m. Febr. a XXII. prima institutione ad a. aetatis XIV. in schola quadam Dresdensi accepta, pharmaciae operam dare coepit, quo negotio pluribus in urbibus Germaniae exercitus, ab a. XLIV. biennium Parisiis in variis officinis versatus clarissimos praeceptores habuit, in quibus coluntur ab eo maxime Orfila et Dumas. Reversus ad nos a. XLVI. adscriptusque studiosis chemicae, audivit Hartensteinium, G. Weberum, praecipueque Erdmannum, qui eum sibi adiutorem in laboratorio chemico adiunxit.

CAROLUS IULIUS HERRMANN.

Hic Augusto Orthobio, professori historiae in schola militari Dresdae natus est pridie Cal. Oct. a. XIX. Amore Graecorum Latinorumque scriptorum a privato

magistro impletus, assiduam iis lectionem impendit in schola ad aedem S. crucis, cuius discipulus fuit per sex annos, carus C. A. Boettigero, coniunctissimo cum eius parentibus. Ei studio etiam in Academia nostra, ad quam a. XXXVII. accessit, initio deditus, subita mutatione voluntatis animum ad spem oratoris sacri convertit, theologiaeque, adiuncta historia et philosophia, operam dedit. Ita actis tribus annis et semis, superato examine theologico, Dresdam rediit, ibique per biennium historia geographiaque docenda se exercuit. Sed alias quoque terras visere cupientem, quum alterum examen theologicam subiisset, opportune Hofwylium invitavit Fellenbergius, cui ab amico quodam erat commendatus. Ibi tres menses versatus, cognitis illius loci scholis Genevam petiit, ubi duo pueros regendos accepit, usumque sibi paravit linguae Francogallicae. Post XV menses, quum pueri illi iam scholae tradendi essent, casu factum, ut mercator quidam Bostoniensis aliquem quaereret, qui eius filios Dresdam duceret. Ei commendatus cum illis pueris per maximam partem Helvetiae sitasque ad Rhenum urbes Germaniae usque ad Coloniam Agrippinam profectus est Dresdam, ubi praeceptoris privati adiutor factus anno post in eodem gymnasio, cuius olim alumnus fuerat, docendi munus accepit, rediitque ad scriptores antiquos, maximeque Graecos, tentatus Lipsiae a. XLVII. examine pro capessendo munere gymnasiastico. Sub finem eius anni afflictus est morte patris. Eius successori suffectus, ab Senatu Lipsiensi admotus est muneri in schola reali easdem doctrinas docendi, in quibus patris studia erant versata.

IULIUS ARNOLDUS RUDOLPHUS HEINSIUS.

Natus Berolini Cal. Iun. a. XII. parentibus Theodoro, professore nunc emerito, et Dorothea e gente Gallica Cabanis. Ex disciplina gymnasii Leucophaei egressus in universitate Berolinensi quadriennium exegit studiis philosophicis, iuridicis, naturalibus. Suasu patrui, iurisconsulti, caussas in foro agentem quarto abhinc anno vehementer poenituit consilii, rediitque ad studia philosophica atque aesthetica, quo natura ferebatur.

BENNO BRUNO BRUECKNER.

Rosswinae, quo in oppido pater laminam elaborat, d. X. m. Maii a. XXIV. natus, a parentibus, qui liberos diligentissime ad probitatem et laborem instituebant, a. XXXVIII. traditus est gymnasio Afrano, cuius disciplina quinque annis per omnes classes usus est, nihil adversi passus praeter vehementes et assiduos dolores capitis, qui eum diu a studiis abstinere cogebant. A. XLIII. Lipsiam venit, ubi in philosophia Drobischium et Hartensteinium, in historia Wachsmuthium, in doctrinis theologicis Winerum, Krehlium, Niednerum, Tuchium, Theilium doctores habuit. Exacto fere quadriennio exploratus, candidatus theologiae factus est accepitque potestatem contionandi.

DAVIDES EPHRAIM IOEL.

Vratislaviae, oppido provinciae Posnaniae, natum IX. Cal. Iul. a. XXIII. parentes Ephraim et Esther biennio post secum Lubeccam transtulerunt, in cuius urbis vicinia pater ad synagogen Iudaeorum vocatus erat. Ab eo iam puer studiis Hebraicis initiatus a. XLIII. Hamburgum missus est in gymnasium academicum litterarum classicarum caussa: ex quo post tria semestria maturus iudicatus in universitatem Berolinensem abiit, ubi philosophiae, antiquarum litterarum, linguarum Chaldaicae, Syriacae, Samaritanae, Arabicae doctores est secutus, quibus omnibus gratias agit, maximeque Wetzsteinio, qui codicem Korischii, quem Oxonii exscripserat, benigne cum eo communicaverit.

MORGANUS IEDEDIA SMEAD.

Scipione, reipublicae Eboraci novi pago, natus sum a. XIV., cognomine patre, matre Carolina, quibus gaudeo adhuc viventibus. A quarto vitae anno usque ad decimum quartum populari in schola primis litterarum elementis imbutus sum. Ex eo tempore, pater, agricola diligentissimus, me apud se tenebat agrestibus in negotiis occupatum, mensibus hibernis tantum ad studia persequenda permissis; donec anno aetatis XVIII. mihi iam pridem magno amore liberalium disciplinarum capto, concessum fuit ab eo, ut eis me omnino darem. Itaque in lyceum Wyomingense me contuli, quo post quinque menses relicto, in Clarksonense transii, ubi Beattio, singularis humanitatis magistro, usus, lectioni assidue Latinorum Graecorumque scriptorum incubui. A. XXXVI. civibus collegii, quod est Schenectadiae, Concordiae sum adscriptus. Ibi quum cursum academicum transegissem, superatis non sine laude praeceptorum examinibus, primum Baccalaureus, et aliquanto post Magister Liberalium Artium creatus sum; inter praeceptores usus, qui doctrina humanitateque eminent, Nottio, eloquentissimo viro et adhuc eiusdem Academiae praeside, et Pottero, cui plurimum me debere fateor, nunc Pennsylvaniae dioecesis episcopo. Aestate a. XXXIX. contuli me Richmundum, qua in urbe per quinque fere annos docendis pueris me dedidi, praeceptoris munus in gymnasio adeptus. Scientiae autem siti impulsus, deposito munere, Germaniam petivi, antiquis litteris operam daturus. In universitate Monacensi Thierschii, de Lassaulxii, Goerresii scholas frequentavi; ex qua Lipsiam profectus, inprimis G. Hermannum audivi, cuius singularis erga me benignitatis semper grato animo servabo memoriam, itemque Hauptium, Beckerum. Exinde Universitas Berolinensis me recepit, qua per unum annum praeter alios Boeckhium, Lachmannum, Franzium, Heysium doctores habui. Postea, quo tranquillius me indagationibus privatis dederem, Goettingam transii, ubi praecipuo in studiis adiutore C. F. Hermanno usus sum, cuius et aliorum quoque doctorum virorum perutilis mihi fuit consuetudo. Relicta tandem cum magno dolore Germania, patriam repetivi, et iam, opinione citius, ad cathedram Humanitatis in Universitate Williamsburgensi sum vocatus.

HERMANNUS GUSTAVUS ADOLPHUS RICHTER.

Natus sum Dresdae a. XXIV. d. VIII. m. Decbr. patre Ioanne Theaeneto, qui fungitur munere publico, quo quum aliquoties domicilium mutare cogeretur, me quoque necesse erat et scholas et magistros mutare, nec diutius quam tres fere annos mihi licuit scholam privatam frequentare Doeringii. Deinde me contuli in seminarium ludi magistrorum, quod est Dresdae in suburbio Fridericopolitarum, ubi tota institutione alumnorum ad quoddam desiderium eruditionis excitatus, tandem me litteris tradere constitui. Quod consilium magis firmatum est, quum Callinichius, director vicarius seminarii, sua sponte me exhortaretur. Itaque a. XLIV. examine ad capessendum munus candidatorium superato, in schola quadam privata per unum annum pueros erudivi, eodemque tempore contigit mihi quaestionem quandam, cum praemio propositam ab Ammonio, solvere. Tum adscriptus Academiae Lipsiensi, nec multo post in schola Nicolaitana examinatus maturusque iudicatus, doctores habui clarissimos, Hermannum, Drobischium, Wachsmuthium, Hartenstenium, Weissium, Westermannum, Klotzium, Hauptium, Frickium, Naumannum, Weberum, Winerum, Theilium, Niednerum, Platonem, Lindnerum. Saepius aegre restiti naturali cuidam propensioni ad maestitiam, maximoque sum dolore affectus, quum mater dilectissima in gravem animi aegritudinem incideret, e qua recreari non videtur nisi lentissime. Spero tamen dei auxilio fore, ut posthac studiis philosophiae atque iis laboribus, quos vitae meae ratio commendabit, prompto atque alacri animo possim operam navare.

IOANNES THEOPHILUS ERNESTUS WAGNER.

Natus VI. Id. Mart. a. XIX. Roitzschii, pago agri Dresdensis, ubi parentes Io. Christophorus, Io. Regina Hempelia praedium conduxerant. Hi quum a. XXIV. Unkersdorfii praedium emissent, ubi patruus eius Io. Georgius Wagner sacris praeerat, magistro Hartwigio litteris Latinis et arte musica institutus, destinatus est muneri ludimagistri. Itaque Tharandi commissus est disciplinae Marschleri, cantoris, et Gehii, phil. D. clerici, Liebmannique. A. XXXIV. receptus in seminarium paedagogicum Dresdense laudat praeceptores Traug. Ottonem et Aug. Becherum. Tempus ab exercitatione musicae vacuum, auctore amico Seidmachero, doctrinae de rerum natura impendit. Ibi intimam amicitiam iunxit cum Herm. Langero, nunc apud nos organoedo aedis D. Pauli. Sexto fere mense ante examen, in quo propter rerum scholasticarum scientiam nota I., propter artis musicae facultatem II. ornatus est, tradita ei ab Ottone directore erat institutio classis infimae in schola cum seminario coniuncta, quum iam antea historiam naturalem et physicam aliquamdiu in prima classe docuisset. A. XXXVIII. commendatione Medewischii suscepit munus praeceptoris in domo Georgii de Manteuffel, quam non adsuetus opiparo cultui victuique, quamvis discipulos carissimos haberet, sexto mense post relicturus erat, ni mater eorum Guilielmina de Hahn moriens eum rogari iussisset ne liberos eius desereret. Itaque cum illa familia in Curoniam

abiit, laetus comitatu Georgii Medewischii, qui natu maiores liberos Manteuffelii instituebat. Ibi maxime historiae operam dedit, ad quam unus ex discipulis suis excellenti praeditus indole esset, linguasque Latinam et Gallicam tractavit, allectus simul ad rem herbariam abundantia florum, nec neglecta mathesi. Commoratus aliquot annos in Curonia, quum complures fautores ac patronos eosque potentes haberet, valde anceps animi an in regno Russico maneret, tandem amore patriae desiderioque parentum, maximeque matris caritate victus, rediit, acceptusque in Academia nostra, primo sine testimonio maturitatis, quum duce Fritzschio, phil. D. adiunctoque praeceptoribus scholae Nicolaitanae, Latinis Graecisque litteris incubuisset, illaque in schola esset maturus iudicatus, per triennium philosophiae historiaeque studiis se dedidit, scholis usus Buelavii, Drobischii, Fechneri, Flathii, Hartensteinii, Hassii, Hauptii, meis, Iahnii, Klotzii, Lindneri, Wachsmuthii, Wineri, Wuttkii, societatibusque interfuit Klotzii, Nobbii, Wachsmuthii, Westermanni. Nuper factus est candidatus muneris scholastici, accepta nota II*.
